R. 14
6/11

Est 44
nº 20

Tyrocinium Scientiarum
XVIII. Tractatus
complectens

De Rhetorica
De Logica
De Arithmetica
De Geometria
De Asse
De Architectura
De Mechanica
De Physica
De ethica
De Œconomica
De Politica
De Apodemica
De Antiquitatis studio

De Polemica
De Historia
De Jurisprudencia
Rudimenta Institutionum Juris
De Medicina

TYPVS RHETORICÆ.

- *Rhetoricæ partes,*
  - *Elocutio, cuius partes*
    - *Tropus*
      - *Metonymia a.*
      - *Ironia b.*
      - *Metaphora c.*
      - *Synecdoche d.*
    - *Figura*
      - *Dictionis in repetitione, ut*
        - *Epizeuxis 1.*
        - *Anadiploſis 2.*
        - *Climax 3.*
        - *Anaphora 4.* } *Simploce 6.*
        - *Epiſtrophe 5.* } *Simploce 6.*
        - *Epanalepſis 7.*
        - *Epanodos 8.*
        - *Paronomaſia 9.*
        - *Polyptoton 10.*
      - *Sententiæ, ut*
        - *Exclamatio 11. & Epiphonema 12.*
        - *Epanorthoſis 13.*
        - *Apoſiopeſis 14.*
        - *Apoſtrophe 15.*
        - *Proſopopœia 16.*
        - *Addubitatio 17.*
        - *Communicatio 18.*
        - *Prolepſis 19.*
        - *Permiſsio 20.*
        - *Conceſsio 21.*
  - *Pronunciatio*
    - *Vox.*
    - *Actio ſeu geſtus.*

Pueri

Pueri doceantur tropos literis a, b, c, d, & figuras numeris 1. 2. 3. 4. &c. ſignare in autoribus qui explicantur: ut earum notarum intuitu, Rhetoricas uirtutes in propoſito quouis autore intelligere diſcant.

Quid eſt Rhetorica?

Eſt ars benè dicendi.

Quot ſunt partes Rhetoricæ?

Duæ: Elocutio & Pronunciatio.

Quid eſt Elocutio?

Eſt exornatio orationis.

Quot ſunt partes Elocutionis?

Duæ: Tropus & Figura.

Quid eſt Tropus?

Eſt elocutio, qua uerbũ à natiua ſignificatione in aliam immutatur.

Quot ſunt Tropi?

Quatuor: Metonymia, Ironia, Metaphora, Synecdoche.

Quid eſt Metonymia?

Cùm inuentor pro re inuenta, dux pro exercitu, cauſa pro effectu, continens pro contento, autor pro opere ſumitur. Vnde uerſus:

Inuentor, dux, cauſa, Metonymâ, continet, autor.

Vt Mars pro bello, Bacchus pro uino, poculum pro uino, Virgilius pro opere Virgilij.

Quid eſt Ironia?

Eſt tropus à diſſentaneo ad diſſentaneum, ut Heus bone uir curaſti probè: Terentius. Et Virgil.

Egregiam uerò laudem & ſpolia ampla refertis.

Quid eſt Metaphora?

Cùm ex ſimili ſignificatur ſimile. Vt homo homini Deus

aut

aut lupus. Latrare pro loqui. Adhinnire ad alicuius orationem.

Quid eſt Synecdoche?

Cùm ex parte totum aut ex toto pars ſignificatur: ut tectum pro domo, mucro pro gladio.

DE FIGVRIS RHETORICIS.

Quid eſt Epizeuxis?

Eſt figura, in qua eadem uox continuè iteratur. Vt Vſus, uſus inquam, omnia magiſtrorum præcepta ſuperat.

Quid eſt Climax ſeu gradatio?

Eſt figura in qua oratio per gradus ita progreditur, ut antecedens ſequenti loco repetatur: ut,

Torra leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam:
Florentem cythiſum ſequitur laſciua capella.

Quid eſt Anaphora?

Eſt figura in qua eadem uox iteratur in principijs diuerſarum ſententiarum: Vt, nemo probior, nemo doctior, nemo modeſtior hoc adoleſcente.

Quid eſt Epiſtrophe?

Eſt figura in qua idem ſonus uel eadem uox in clauſulis iteratur. Vt eius uoluntati ciues aſſenſerunt, ſocij obtemperaruntq́; hoſtes obedierunt, uenti tẽpeſtates obſecundarunt. Si uerba in clauſula ſunt ſimilia, dicitur ὁμοιοτέλευτον: ſi nomina ſunt ſimilia, dicitur ὁμοιόπτωτον.

Quid eſt Symploce?

Eſt figura, in qua anaphora & epiſtrophe coniungũtur. Vt: Quis *Dei filius?* Chriſtus. Quis *pro nobis mortuus?* Chriſtus. Quis *pro nobis reſurrexit?* Chriſtus.

Quid

Quid eſt Epanalepſis?

Eſt figura, qua eadem uox in principio & clauſula repetitur, ut Virgil.

Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.

Quid eſt Paronomaſia?

Eſt figura, in qua dictiones diuerſæ ſyllabis aliquot inter ſe conſonant. Vt non eſt orator, ſed arator. Hoc non amantis, ſed amentis eſt. Hinc eſt illud Catonis, cui cùm quidam dixiſſet, Eamus deambulatũ: & ille reſpondiſſet: Quid opus eſt de? imò uerò (ait Cato) quid opus eſt te?

Quid eſt Polyptoton?

Eſt uarietas caſuum, ut certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reſeruetur. Quis uidit, cui dixiſti, quem teſtem habes? Non uiuimus ut edamus, ſed edimus ut uiuamus.

DE FIGVRIS SENTENTIÆ.

Quid eſt Exclamatio?

Eſt figura per aduerbium exclamandi expreſſum uel intellectum. Vt, O' clementiam admirabilẽ, atq; omni laude, prædicatione, literiſq; decorandam! O' fruſtra mei ſuſcepti labores! O' ſpes fallaces! O' cogitationes inanes meæ!

Quid eſt Epiphonema?

Eſt ſpecies exclamationis, quæ ad finem rei narratæ & explicatæ addi ſolet: Virgilius:

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Quid eſt Epanorthoſis?

Epanorthoſis ſeu correctio eſt quando antecedens aliquid reuocatur. Vt Terentius:

——Filium unicum adoleſcentulum

Habeo. Ah quid dixi habere me? imò habui Chreme:

Nunc

Nunc habeam nécne, incertum eſt.

Sed finis ſit: neq; enim præ lachrymis loqui poſſum.

Quid eſt Apoſiopeſis?

Apoſiopeſis ſeu reticentia eſt qua ſentẽtiæ inchoatæ curſus reuocatur, ita ut ſententia non integra. Vt Virgil.

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

Quid eſt Addubitatio?

Eſt deliberatio nobiſcum. Vt Cicero: Equidem quod ad me attinet, quò me uertam, neſcio: negem illam rem cõmemoratam in ſenatu?

Quid eſt Communicatio?

Eſt deliberatio cum alijs. Cicero: Ego pro te nunc hoc conſulo poſt tempus in aliena re: quod tu in tua re, cùm tempus erat, conſulere oblitus es. Quæro abs te, &c.

Quid eſt Prolepſis?

Prolepſis ſeu occupatio eſt qua alieni conſilij interrogationem occupamus.

Quid eſt Permiſſio?

Cùm facti cuiuſpiam licentia condonatur. Vt Virgil.

——neq; te teneo, neq; dicta refello:

I, ſequere Italiam uentis: pete regna per undas.

Quid eſt Conceſſio?

Cùm dictum aliquod aut argumentum condonatur. Vt Cicero: Sit ſacrilegus, ſit fur, ſit flagitiorum omnium uitiorumq; princeps: at eſt bonus Imperator.

DE PRONVNCIATIONE.

Quid eſt Pronunciatio?

Eſt ornata cogitationis enunciatio.

Quot ſunt pronunciationis partes?

Duæ: Vox & Geſtus ſeu Actio.

Quódnam eſt præceptum uocis?

Vt omnia quæ proferentur, ſono uocis rebus accommodato proferantur. Aliam enim uocem troporum genera aſtuoſa requirunt, ut Ironia & Metaphora illuſtrior: aliam affectus, ut miſeratio, iracundia, uerecundia, lætitia, dolor, aſſentatio & rogatio.

Quid eſt Geſtus?

Eſt corporis quidam ſermo.

Quottuplex eſt?

Duplex: Eſt enim uel totius corporis uel partiũ corporis.

Quid eſt geſtus totius corporis?

Status corporis ſit ſecundùm naturam erectus & excelſus: nam ut Ouidius ſcribit, natura

Os homini ſublime dedit, cœlumq́ uidere
Iuſsit & erectos ad ſidera tollere uultus.

Contraria autem nutatio & uacillatio, indecora eſt.

Quis eſt geſtus partium corporis?

Demiſſo capite modeſtia ſignificatur. Vultus eſt imago animi: oculi ſunt eiuſdem indices. Itaq; efficiendum eſt ne quid ſit ineptum, aut uultuoſum. Oculorum uerò magna debet eſſe moderatio.

Brachium procerius proiectum, quaſi quoddam telum orationis eſt & decet cùm uberius quiddam dicendum eſt.

Manus digitis ſubſequi debet uerba.

Communis geſtus eſt, quo medius digitus in pollicem trahitur, explicatis tribus.

Index in exprobrando & indicando, alleuata ac ſpectante humerum manu paulum inclinatus, affirmat: uerſus in terram & quaſi pronus urget.

F I N I S.

DE

DE POETICA.

Quid eſt Poëtica?

Eſt facultas benè ſcribendi uerſus.

Quot ſunt conſideranda in uerſibus?

Tria: Quantitas ſyllabarum, Pedes & Metrum.

Quid de quantitate ſyllabarum dicis?

Syllaba omnis, aut eſt breuis, aut longa, aut communis.

Quænam ſyllaba eſt breuis?

Vocalis ante uocalē: ut prima ſyllaba in Deus, pius, ſcio.

Quænam eſt longa?

Omnis diphthongus eſt longa, ut primæ ſyllabæ in ætas, audio, cœna, euge. Omnis poſitio eſt longa. Eſt autem poſitio quando uocalem ſequuntur duæ conſonantes, aut duplex, ut aſt, pax, gaza, ato.

Quænam eſt Communis?

In qua uocalem natura breuem, ſequitur muta cum liquida r, uel l, ut Afri, arbitror, exedra.

Quottuplex eſt Pes?

Duplex: Biſyllabus, aut Triſyllabus. Biſyllabus ut Spondæus, Triſyllabus ut Dactylus.

Quid eſt Spondæus?

Eſt pes ex duabus longis ſyllabis: ut Muſas.

Quid eſt Dactylus?

Eſt pes è longa & duabus breuibus: ut Tityre.

Quid eſt Metrum?

Eſt numerus poëticus, certos pedes, certis locis collocatos continens.

Quænam ſunt affectiones metri?

Duæ: Ecthlipſis & Synalœpha: utraque eliſio uocatur: cū

ſcilicet uel m uel uocalis aliqua eliditur in fine dictionis, cum ſequens incipit à uocali, ut

Multum ille & terris iactatus & alto.
Mult' ill' & terris iactatus & alto.

Hinc carmen uulgatum:

M necat Ecthlipſis, uocalem: ſed Synalœpha.

Quot ſunt genera Metrorum?

Duo: Simplex & Compoſitum.

Quid eſt Simplex Metrum?

Quod conſtat è duobus tantùm pedibus, ut Adonicum conſtans è dactylo & ſpondæo, ut

Terruit urbem.

Quid eſt Compoſitum?

Quod è pluribus quàm duobus pedibus conſtat: ut Hexametrum & Pentametrum.

Quid eſt Hexametrum?

Quod conſtat ſex pedibus, ſed ita ut quinto loco dactylum, ſexto ſpondæum habeat.

Quid eſt Pentametrum?

Quod conſtat quinq; pedibus: ſed ita ut in tertio loco ſyllabam ſuſpendat cum fine coniungendam, in quarto & quinto dactylum habeat.

1	2	3	4	5	6
Scit bene	*uena*	*tor cer*	*uis ubi*	*retia*	*ponat.*

1	2	3	4	5
Scit bene	*qua fren*	*dens* / *per*	*ualle mo*	*retur a*

FINIS.

DE LOGICA.

TYPVS LOGICÆ.

Logicæ partes ſunt duæ.

- Inuẽtio circa Argumentum, cuius *Loci ſunt decem.*
  - *Cauſa 1.*
  - *Effectus 2.*
  - *Subiectum 3.*
  - *Adiunctum 4.*
  - *Diſſentanea 5.*
  - *Comparata 6.*
  - *Nomen 7.*
  - *Diſtributio 8.*
  - *Definitio 9.*
  - *Teſtimonium 10.*
- *Diſpoſitio ſeu Iudicium.*
  - *Noëticũ ſeu Axiomaticũ in Enunciato: quod eſt uel*
    - *Simplex.*
    - Compoſitũ
      - *Copulatũ.*
      - *Connexum.*
      - *Diſcretũ.*
      - *Diſiunctũ.*
  - Dianoëticum in
    - *Syllogiſmo*
      - *Simplici.*
      - Cõpoſito
        - *Connexo.*
        - *Diſiunctо.*
    - *Methodo.*

Quid eſt Logica?

Eſt ars bene diſſerendi.

Quot ſunt partes Logicæ?

Duæ: Inuentio & iudicium.

Quid eſt Inuentio?

Eſt pars Logicæ de inueniendis argumentis.

Quid eſt Argumentum?

Quod ad aliquid arguendum affectum eſt.

Quot ſunt Argumentorum loci ſeu Categoriæ?

Decem: Cauſa, Effectus, Subiectum, Adiunctum, Diſſentanea, Comparata, Nomen, Diſtributio, Definitio, Teſtimonium.

Quid eſt Cauſa?

Cuius ui rés eſt.

Quot ſunt Cauſæ?

Quatuor: Efficiens, Materia, Forma, Finis. Vt Calcei efficiens eſt ſutor: materia corium, funiculus, pix: forma quã uidemus, uel longo uel breui obſtragulo: finis ut ſit munimentum pedum. Sic ueſtis cauſa efficiens eſt ſartor, materia eſt pannus: forma quam uidemus, uel longa ut palla, uel breuis ut tunica: finis eſt ut tegat corpus.

Quid eſt Effectum?

Quod è Cauſis exiſtit. Vt Sutoris effecta ſunt calceos, perones, ocreas, crepidas facere.

Sartoris effecta ſunt, facere thoraces, fœminicruralia, tibialia, fœmoralia, tunicas, pallia, ueſtes uiriles & muliebres.

Quid eſt Subiectum?

Cui aliquid adiungitur: ut homo eſt ſubiectum diuitiarum, paupertatis, honoris, infamiæ, ueſtitus. Subiectum iſt da mit einer vmbgehet. Propertius:

Nauita

Nauita de uentis, de tauris narrat arator.
Enumerat miles uulnera, paſtor oues.

Hûc etiam pertinet locus, ut canthari ſubiectum eſt menſa, aut uas frigidarium.

Quid eſt Adiunctum?

Cui aliquid ſubijcitur. Vt canthari adiunctum eſt anſa: ſutoris adiunctum eſt claudum eſſe. Martialis in Zoilum ludit ex phyſiognomia:

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus,
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Huc etiam pertinet Tempus.

Quid eſt Diſſentaneum?

Quod à re diſſentit. Diſſentanea autem ſunt uel diuerſa, uel oppoſita.

Quænam ſunt diuerſa?

Vbi intelliguntur hæc uerba, Non hoc, ſed illud. Quanquam, tamen.

Ouidius:

Nec leuis ingenuas pectus coluiſſe per artes
Cura ſit & linguas edidiciſſe duas.
Non formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes:
Et tamen æquoreas torſit amore Deas.

Quænam ſunt Oppoſita?

Quæ eidem attribui non poſſunt: eorum ſunt quatuor ſpecies.

Relata, Aduerſa, Contradicentia, Priuantia.

Quænam ſunt Relata?

Quorum alterum conſtat è mutua affectione alterius: ut pater eſt, qui filium habet, & filius qui patrem.

Ouidius:

Victa iacet pietas,non hoſpes ab hoſpite tutus:
Non ſocer à genero, fratrum quoq; gratia rara eſt,
Inminet exitio uir coniugis, illa mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Quǽnam ſunt Aduerſa?

Quæ inter ſe uelut è regione perpetuò aduerſantur : ut albor & nigror, calidum & frigidum, uirtus & uitium, pax & bellum. Vt Virgilius:

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Quǽnam ſunt Contradicentia?

Sunt duo contraria , quorum alterum ait, alterum negat. Vt iuſtus, non iuſtus. Homo non homo , ſumebat lapidē non lapidem, & percutiebat auem non auem, Sedentem ſuper arbore non arbore.

Quǽnam ſunt Priuantia?

Sunt habitus & priuatio. Vt ebrius & ſobrius: Martial.
Ebrius es, nec enim faceres hæc ſobrius unquam.
Sic pauper & diues ſunt priuantia, Martialis:
Semper eris pauper, ſi pauper es Aemyliane:
Dantur opes nullis nunc niſi diuitibus.

Ouidius:

In precio precium nunc eſt, dat cenſus honores:
Cenſus amicitias, pauper ubiq; iacet.

Quǽnam ſunt Comparata?

Quæ inter ſe comparantur : ſuntq; uel paria uel imparia, ſimilia uel diſsimilia.

Quǽnam ſunt Paria?

Quorum una eſt quantitas. Eorū notæ ſunt par, æquale,

æquare,

æquare, tanto, quanto, non magis, non minus. Ouid.

Non minor eſt uirtus, quàm quærere, parta tueri,
Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.

Iuuenalis:

Omne animi uitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò maior qui peccat habetur.

Quǽnam ſunt Imparia?

Quarum quantitas non eſt eadem: & ſunt uel maiora, uel minora.

Quǽnam ſunt notæ maiorum?

Non ſolùm, ſed etiam: cùm tum: malò hoc quàm illud:

Virgilius:

O paſſi grauiora: dabit Deus his quoq; finem.

Quǽnam ſunt notæ minorum?

Non ſolùm, ſed ne, item negatio parium: Iuuenalis:

Rari quippe boni, numero uix ſunt totidem quot
Thebarum portæ, uel diuitis oſtia Nili.

Quǽnam ſunt ſimilia?

Quorum eſt eadem qualitas.

Quottuplex eſt Similitudo?

Duplex: Breuis & Explicata per protaſin & apodoſin.

Quǽnam ſunt notæ breuis ſimilitudinis?

Similis, talis, qualis, idem, effigies, more, inſtar, tanquã, ſicuti. Ouidius:

Tempora labuntur more fluentis aquæ. Idem:

Scilicet ut fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Quǽnam ſunt diſſimilia?

Quorum non eſt eadem qualitas.

Quǽnam ſunt eorum notæ?

Diſſimile, diſpar, differens, aliud, ſecus. Item negatio ſi-

mulium, non ſimilis, non talis, non idem, non tanquam.

Quomodo uocatur redditio diſſi-
militudinis?

Antapodoſis: id eſt, diſsimilis redditio. Virgilius:

Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi,
Sylueſtrem tenui Muſam meditaris auena:
Nos patriæ fines & dulcia linquimus arua,
Nos patriam fugimus. ——

Quid comprehendit Nomen?

Coniugata & Notationem.

Qúænam ſunt Coniugata?

Sunt nomina ab eodem principio uariè deducta, ut iuſtitia, iuſtus, iuſtè. Homo ſum: humani à me nihil alienum puto.

Ouidius:

Aurea ſunt uerè nunc ſecula, plurimus auro
Vænit honos, auro conciliatur amor.

Quid eſt Notatio?

Eſt nominis interpretatio. Vt homo ab humo, Lucus, quia parum lucet. Ludus, quia longiſsimè à luſu. Aprilis ab aperiendo. Ouidius:

Nam quia uer aperit tunc omnia, denſaq; cedit
Frigoris aſperitas, fœdaq; terra patet:
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

Quid eſt Diſtributio?

Eſt diſtinctio totius in partes.

Totum eſt quod continet partes.

Pars eſt, quæ continetur à toto: unde Inductio dicitur.

Quid eſt Inductio?

Eſt collectio partium ad cóſtituendum totũ. Vt, eſt fundamentum, ſunt parietes, eſt tectum. Eſt igitur domus.

Quid

Quid eſt Dichotomia?

Eſt diuiſio quæ fit in duo, à δίχα, bifariam, τέμνω, ſeco: unde τομὴ ſectio.

Quot ſunt ſpecies Diſtributionis?

Duæ: Partitio & Diuiſio.

Quid eſt Partitio?

Eſt integri in ſua membra diſtributio. Sic domus diſtribuitur in fundamentum, parietes, tectum. Homo in corpus & animam.

Quid eſt Diuiſio?

Eſt generis in ſpecies diſtributio. Sic uirtus diſtribuitur in Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam.

Et huc pertinent Exempla ſpecialia: ut in hac Inductione Perſij:

Mille hominum ſpecies & rerum diſcolor uſus,
Velle ſuum cuiq; eſt, nec uoto uiuitur uno.
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper & pallentis grana cumini.
Hic ſatur irriguo mauult turgeſcere ſomno,
Hic campo indulget, hunc alea decoquit. ——

Quid eſt Definitio?

Eſt ratio quæ explicat quid res ſit.

Quottuplex eſt?

Duplex: Perfecta & Imperfecta.

Quid eſt Perfecta definitio?

Eſt definitio conſtans è ſolis cauſis eſſentiam conſtituentibus: ut genere & forma: Vt homo eſt animal rationale. Grammatica eſt ars benè loquendi. Rhetorica benè dicendi. Logica benè diſſerendi. Arithmetica benè numerandi. Geometria benè metiendi. Muſica benè canendi.

Quid

Quid eſt Imperfecta definitio?

Eſt definitio ex alijs etiam argumentis rem definiens. Vt homo eſt animal mortale, capax diſciplinæ. Ouid.

Stulte quid eſt ſomnus gelidæ niſi mortis imago?
Longa quieſcendi tempora fata dabunt.

Quottuplex eſt Teſtimonium?

Duplex: Diuinum, ut è ſacris literis ſeu utroq; teſtamento, & Humanum.

Quænam ſunt ſub humano teſtimonio?

Primò lex ſcripta & non ſcripta. Deinde ſententiæ illuſtres, ut prouerbia & dicta ſapientum: ut pares cum paribus faciliimè congregantur. Noſce teipſum, γνῶθι σεαυτόν. Ne quid nimis, μηδὲν ἄγαν. Sponde, noxa præſto, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη. Item huc pertinent ſententiæ philoſophorum, oratorum, poëtarum, ut Virgilij:

Diſcite Iuſtitiam moniti & ne temnite Diuos.

Iuuenalis:

Dat ueniam coruis, uexat cenſura columbas.

DE IVDICIO.

Quid eſt Iudicium?

Eſt pars Logicæ de diſponendis argumentis.

Quot ſunt partes Iudicij?

Tres: Enunciatum, Syllogiſmus, Methodus.

Quid eſt Enunciatum?

Eſt diſpoſitio qua argumentũ de argumẽto enunciatur, ut Dialectica eſt ars. Homo eſt animal. Sutor eſt artifex.

Quottuplex eſt Enunciatum?

Duplex: Simplex & Compoſitum.

Quid eſt Simplex?

Quod uerbi uinculo continetur. Itaq; affirmato uel ne-

gato

gato uerbo, affirmatur, uel negatur: Vt ignis urit, ignis eſt calidus: ignis non eſt aqua.

Quid eſt Compoſitum?

Quod coniunctionis uinculo continetur. Itaq; è coniunctione affirmata uel negata, affirmatur uel negatur.

Quottuplex eſt Compoſitum?

Quadruplex: Copulatum, Connexum, Diſcretum, Diſiunctum.

Quid eſt Copulatum?

Cuius coniunctio eſt copulatiua. Vt Horat.

Et genus & formam regina pecunia donat.

Ouidius:

Terra ſalutiferas herbas eademq́; nocentes
Nutrit, & urticæ proxima ſæpè roſa eſt.

Idem:

Nox & Amor, uinumq́; nihil moderabile ſuadent:
Illa pudore uacat, Liber Amorq́; metu.

Quid eſt Connexum?

Cuius Coniunctio eſt Connexiua, Sicut Martial.

Frangere ſi metuis, frangis cryſtallina: peccant
Securæ nimium, ſollicitæq́; manus.

Morus:

Si tuus ad Solem ſtatuatur naſus, hianti
Ore, benè oſtendas dentibus hora quota eſt.

Quid eſt Diſcretum?

Cuius coniunctio eſt Diſcretiua. Ouid.

Quamuis eſt igitur meritis indebita noſtris,
Summa tamen ſpes eſt in bonitate Dei.

Quid eſt Diſiunctum?

Cuius coniunctio eſt diſiunctiua: Vt aut dies eſt aut nox.

Aut pluit, aut claro nunc Iupiter æthere fulget

Quid

Quid eſt Syllogiſmus?

Eſt diſpoſitio trium enunciatorum, quæ uocantur Propoſitio, Aſſumptio, Complexio.

Quot ſunt Syllogiſmi affectiones?

Tres: Ellipſis, Redundantia & Inuerſio.

Quid eſt Ellipſis?

Cùm pars Syllogiſmi deeſt, & dicitur Enthymema: id eſt, ſyllogiſmus imperfectus.

Quid eſt Redundantia?

Cùm præter illas tres partes aliquid accedit: & dicitur Proſyllogiſmus, approbatio.

Quid eſt Inuerſio?

Cùm partium ordo confunditur.

Quottuplex eſt Syllogiſmus?

Triplex: Simplex, Connexus, Diſiunctus.

Da mihi exemplum Simplicis?

Omnis homo eſt mortalis.
At Plato eſt homo.
Plato igitur eſt mortalis.

Quid eſt Syllogiſmus Connexus?

Cuius propoſitio eſt connexa: ut,
Si auis uolat: habet pennas.
At auis uolat.
Habet igitur pennas.

Quid eſt Syllogiſmus Diſiunctus?

Cuius propoſitio eſt diſiuncta: ut,
Aut dies eſt aut nox.
At dies eſt.
Ergo non eſt nox.

Quid eſt Methodus?

Eſt diſpoſitio uariorum enunciatorum, aut ſyllogiſmorum

rum

rum, à generalibus ad ſpecialia progrediens. Sicut autem in enunciato ueritas & falſitas, in ſyllogiſmo conſequentia & inconſequentia ſpectatur: ita in methodo ordo & confuſio iudicatur. Ad methodi lucem ualdè ſunt accommodæ tranſitiones, quæ partes tanquam uinculis quibuſdam alligant.

Quid eſt methodus oratoria?

Eſt in procœmio, narratione, confirmatione, peroratione, & à theſi ad hypotheſin.

FINIS.

DE

DE ARITHME-TICA.

Abacus ſeu menſa Pythagoræ.

2	2.	4.
	3.	6.
	4.	8.
	5.	10.
	6.	12.
	7.	14.
	8.	16.
	9.	18.
3	3.	9.
	4.	12.
	5.	15.
	6.	18.
	7.	21.
	8.	24.
	9.	27.
4	4.	16.
	5.	20.
	6.	24.
	7.	28.
	8.	32.
	9.	36.
5	5.	25.
	6.	30.
	7.	35.
	8.	40.
	9.	45.
6	6.	36.
	7.	42.
	8.	48.
	9.	54.
7	7.	49.
	8.	56.
	9.	63.
8	8.	64.
	9.	72.
9.	9.	81.

Quid eſt Arithmetica?

Eſt ars benè numerandi. Subiectum igitur Arithmeticæ eſt numerus.

Quot ſunt conſideranda in numero?

Duo: Notatio & numeratio.

Quænam eſt Notatio?

Numeri in abaco ſcribendi & notandi decem notæ ſunt. 1.2.3.4.5.6.7.8.9 0. *Circulus per ſe nihil ſignificat: ualet tamen ad alias notas amplificandum pro uarijs gradibus. ut* 10.100.1000.10000.

Quænam fuerunt notæ Romanorum?

I. 1.
V. 5.
X. 10.
L. 50.
C. 100.

Ɔ D. IↃ. 500. *Quingenta.*
CXↃ. ∞. CIↃ. 1000. χίλια. *Mille.*
ↁ. IↃↃ. 5000. *Quinque millia.*
CMↃ. ↂ. CCIↃↃ. 10000. Μύρια. *Decem millia.*
ↇ. IↃↃↃ. 50000. *Quinquaginta millia.*
ↈ. CCCIↃↃↃ. 100000. *Centum millia.*
IↃↃↃↃ. 500000. *Quingenta millia.*
CCCCIↃↃↃↃ. ↈ. CCCCIↃↃↃↃ. 1000000. *Decies cẽtena millia.*

Romani numeri non progrediuntur ultra decies centena millia illa, & cũ plura ſignificare uolunt, duplicãt notas: ut,

∞. ∞. 2000.
CIↃ. CIↃ. CIↃ. 3000.
CIↃ.IↃ. 1500. ∞. D.

IↃↃ. ∞. ∞. 7000.

IↃↃↃ. CCIↃↃ. CCIↃↃ. CIↃ. CIↃ. CIↃ. 73000.

Item cum uirgula notant millenarios, quæ numerorum auctio dici poteſt: ut

$\overline{\text{V}}$.	5000.
$\overline{\text{L}}$.	50000.
$\overline{\text{X}}$.	10000.
$\overline{\text{XX}}$.	20000.
$\overline{\text{LX}}$.	60000.

Numerorum detractionē faciunt, præponendo minorē.

IV.	4.
IIX.	8.
IX.	9.
XL.	40.
VL.	45.
XXC.	80.
XC.	90.
C. ∞.	900.
CD.	400.

In perpetua ſerie numerorū cōſid.

- *Abacus ſeu mēſa Pythagoræ: in qua exercetur in linea*
  - *Recta*
    - *Deſcendendo, Additio.*
    - *Aſcendendo, Subductio.*
  - *Trāſuerſa*
    - *Dextrorſum, Multiplicatio.*
    - *Siniſtrorſum, Diuiſio*
- *Eratoſthenis cribrū: in quo ſunt numeri*
  - 1
    - *Pares* 2.4.6.8.10.12 14.
    - *Impares* 3.5.7.9.11.13.(15.
  - 2
    - *Primi* 1.2 3.5.7.
    - *Compoſiti* 4.8.9.

Quid

Quid eſt Numeratio?

Quæ è duobus oblatis numerorum terminis tertium inuenit: & quidem niſi tota ſimul expediri poſſit, inductione partium utitur. Quoniam idem eſt numerare per totum & per partes: tumq́ nota quælibet tanquam ſolitaria ſpectatur, & ſi ſequenti numerationi ſeruiat, mente reſeruatur ad effugiendum crebrioris lituræ tædium.

Quot ſunt ſpecies Numerationis?

Quatuor: Additio, Subductio, Multiplicatio, Diuiſio.

Quid eſt Additio?

Eſt numeratio, qua numerus additur numero & habetur TOTVS. *Vt debitor ibi debet uno nomine coronatos* 234: *altero* 111. *Quæritur quæ ſumma ſit ex utroq́. Ordine diſpoſitis numeris, ut ſimiles inter ſe reſpondeant, inductio ſic erit:*

2	3	4
1	1	1
3	4	5

Eſto exemplum plenius, ubi mentis reſeruatio adhibetur.

5	6	7	8	9
	1	2	3	4
5	8	0	2	3

Quid eſt Subductio?

Eſt numeratio qua numerus ſubducitur à numero & habetur RELIQVVS. *Hic præcipuè opus eſt inductione. Nã ubi totus numerus à toto ſimul ſubduci non poteſt, inductio per partes fit: ſubducendo infra, ſupra autem à quo ſubductio facienda eſt, poſito. Incipiendum autem eſt à*

ſiniſtra dextrorſum, cõtra quam in additione, quæ ſiniſtrorſum inducenda eſt. Vt ſi de ſumma æris illius alieni 345, ſubducenda ſint 234; diſpoſitis ordine numeris, inductio tota ſic erit:

1 1 1
3 4 5
2 3 4

Eſto exemplum plenius, ubi numerus mente reſeruatur. Nam cùm ſequens ſubducenda nota maior eſt quàm ſupra poſita: tum è reliquo præcedente 1. mente reſeruabo, quod notam ſequentem denario augeat: ut,

8 7
4 3 2
3 4 5

Quid eſt Multiplicatio?

Eſt numeratio, qua multiplicandus toties additur, quoties unitas in multiplicante cõtinetur: & habetur FACTVS. *Numeri inter ſe multiplicati faciunt eundem: ut bis tria ſunt 6. & ter duo ſunt 6.*

Quomodo fit hîc Inductio?

Siniſtrorſum, ut in Additione. Nam multiplicandi notæ toties addendæ ſunt, quoties unitas in multiplicante continetur: & maior cõmodius ſupernè collocatur. Deinde multiplicans per multiplicandi notas ſigillatim duci debet. In multiplicatione circulus per circulum, aut per ſignificantem notam nihil efficit: pro inuentione tamen talis multiplicationis notabitur in principio, ad ſequentes notas augendas. Vt ſi quæratur, quis aureorum numerus menſtruo ſtipendio 456 militum ſufficiat, cum ſingulis 4 aurei attribuantur: id aſſequar 456 per 4 multiplicatis: inductionis ſumma ſic erit:

4 5 6

			4	5	6
					4
		1	8	2	4

Eſto exemplum plenius, ubi multiplicatio fit per partes utriuſq; numeri tum multiplicandi, tum multiplicantis: ubi etiam circulus intercurrit.

		2	0	7	0
			2	0	4
		8	2	8	0
	0	0	0	0	
4	1	4	0		
4	2	2	2	8	0

Quid eſt Diuiſio?

Eſt numeratio qua diuiſor ſubducitur à diuidendo quoties in eo continetur: & habetur QVOTVS: *Atq; ut in additione numerus totus, in ſubductione reliquus, in multiplicatione factus: ſic in diuiſione quotus quæritur.*

Quot ſunt conſideranda in diuiſione?

Quatuor.

1. *Notatio.*
2. *Meditatio.*
3. *Multiplicatio.*
4. *Subductio.*

Quænam eſt notatio diuiſionis?

Tres diuiſionis termini ſic notantur: diuidendus ſuprà, diuiſor infrà, quotus ad latus: ut diuiſis 12 per 4, quotus erit 3: hoc modo:

12 (3
4

Quǽnam eſt Meditatio diuiſionis?

Vt ſciamus quem numerum quælibet nota ſingularis &c per quem diuidat: ſciemus autem per comparationem multiplicationis. Nam ſi numerus faciat numerum per aliquem factum diuidet per eundem: ut bis quaterna ſunt 8: ergo 2 diuidit 8 per 4, & 4 diuidit eundem per 2.

Quǽnam eſt Inductio diuiſionis?

Inductio fit dextrorſum, ut in ſubductione: & uidendum an diuiſor ſit ſimplex an multiplex. Nam ſi eſt ſimplex & unus, diuiſionis opus ſimpliciter fit per multiplicationem & ſubductionem. Diuiſor enim & quotus multiplicandi inter ſe ſunt, & factus à diuidendo eſt ſubducendus.

Quid ſi diuiſor ſit multiplex?

Si diuiſor eſt multiplex & plurium notarum: tum omnes notæ ſimul uelut una conſiderantur & ſubducuntur æqualiter. Diuidantur igitur 144 per 12: erit inductio prima hoc modo. Videbo 12 à 14 ſemel ſubduci & reſtabunt 2 adnotabo igitur 1. pro quoto, & deletis 14 & 12, ſuperſcribam duo: ut,

```
  2
1 4 4 (1
1 2
```

Secunda inductio erit hoc modo: Producam diuiſorem in proximũ locum 24: ac uidebo 12 à 24 bis ſubduci poſſe neq; quicquam reſtare: ut,

```
  2
1 4 4
1 2 2 (12
  1
  2 4
```

Quǽnam

Qúænam ſunt obſeruationes diuiſionis?

1. *Omnino fieri non poteſt, ut nota diuiſoris ulla pluſquam nouies hac ſubductionis uia ſubducatur: quia maior numerus quàm 9, unica nota comprehendi non poteſt.*

2. *Si diuiſor ſit maior diuidēdo loco primo, promoueatur in ſecundum locum: ut ſi diuidam 252 per 42: non poſſum tollere 42 à 25: promouebo igitur diuiſorem in ſecundum locum, & reperiam 6 quotum. Multiplica enim 42, per 6, faciunt 252, quæ ſubducta à 252, nihil relinquunt: ut,*

2	5	2	
	4	2	(6
2	5	2	

Quid ſi peracta diuiſione aliquid è diuidendo relinquatur?

Tum reliquus numerus interiecta linea ſuperpoſitus diuiſori, indicat partes unitatis, quales in diuidendo fuerint. Vt ſi diuiſerim 5 aſſes duobus baiulis, diuiſio ſic erit:

$\frac{5}{2}\ 2\frac{1}{2}$

Vnde intelligitur ſingulis 2 aſſes & dimidium aſſis unius cedere. Si diuiſio legitimè peracta eſt, reliquus numerus ſemper eſt minor diuiſore ſeu nomine. Nam ſi numerus eſſet nomini æqualis, ut $\frac{2}{2}\frac{3}{3}$: eſſet unum integrum: ſi maior, ut $\frac{3}{2}\frac{4}{3}$ eſſet plus uno integro: diuiſorq́ adhuc ſubduci potuiſſet.

Quænam eſt Additio partium ſeu fractionum?

Numeratio florenorum libellarum, denariorum, ſic efficitur. Si proponantur addendi floreni 6 libellæ 5, denarij 15: cum florenis 4, libellis 4, denarijs 28: primò colligam denarios 43. i. $\frac{43}{30}$. Nam 30 denarij faciunt libellam. Itaq; diuiſo numero per nomen, habebo libellam unam & 13 denarios & ſeruabo libellam proximo loco. Deinde addita libella ad 5 & 4 totus erit 10 libellæ: id eſt $\frac{10}{8}$. Nam 8 libellæ & 12 denarij faciunt unum florenum, diuiſo itaq; numero per nomen, habebo unum florenum & 2 libellas: ſumo igitur ex denarijs 13 reliquis, 12 denarios, ut fiat florenus, & remanet unus denarius: tum addito uno floreno ad 6 & 4, habebo florenos 11. Summa deniq; additionis erit hoc modo:

fl.	lb.	d.
6	5	15
4	4	28
11	2	1

Quomodo inueniam diuiſores omnes dati cuiuſcunque numeri?

Diuide eum primò per numeros ſimplices toties, quoties potes, ita ne quid ſuperſit: deinde ad compoſitos accede & hos multiplica ſurſum uerſum omnes, donec ad datum numerum redeas. Eſto numerus 60, cuius oporteat omnes diuiſores inuenire. Nam tot cruciati florenum conſtituunt.

1.	60.
2.	30.
2.	15.
3.	5.

Hîc primò 1. nihil mutat, ſed 2. numerus diuidet 60 & quotus erit 30. qui rurſus diuiſus per 2, dabit 15. [illegible] diuiſus per 3, dabit in quoto 5. Hic habes 1. 2. [illegible] res numeros ex ſerie numerorum naturali, qui [illegible]. Nunc ad compoſitos accedo, & primò multiplico penulti-mum 3, per 5, facio 15.

3. 15. 15.

Secundò multiplico hos tres numeros per 2, & fa[illegible] hunc ſecundum ordinem.

2. 6. 10. 30.

Tertiò multiplico primum & ſecundum ordinem per 2. facioq́ tertium & qua[r]tum ordinem.

2. 6. 10. 30.
2. 4. 12. 20. 60.

Itaque ſexagenarij diuiſores ſunt duodecim. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10. 12. 15. 20. 30 60. Quæ res quãtam opportunitatem in emendo uendendoq́ habeat, ſuo quiſque ſenſu facilè percipere poteſt.

Primum igitur ſi ſexagenarium in duas æquas partes diuidas, fient triginta: pars tertia fient 20, pars quarta quindecim, quinta duodecim, ſexta decem. Atque hoc modo ulterius progrediendo, pars decima fient ſex, duodecima fient quinq;, quindecima quatuor, uigeſima tria, trigeſima duo, donec pars ultima ſexagenarij in monadẽ deſinens, finem amplius ſecandi numerum faciat.

1.	60.
2.	30.
3.	20.
4.	15.
5.	12.
6.	10.

Eſto aliud exemplum diuidendi florenum per denarios 252.

1.	252.
2.	126.
2.	63.
3.	21.
3.	7.

		3.	7.	21.
	3.	9.	21.	63.
2.		6.	14.	42.
	6.	18.	42.	126.
2.	4.	12.	28.	84.
	12.	36.	84.	252.

Itaque numeri ordine collocati diuiſores oſtendunt octodecim.

1.	252.
2.	126.
3.	84.
4.	63.
6.	42.
7.	36.
9.	28.
12.	21.
14.	18.

Eſto facillimum exemplũ aſsis, cuius diuiſores ſunt ſex.

1.	12.
2.	6.
2.	3.

	2.	3.	6.
2.	4.	6.	12.

Numeri

Numeri diſpoſiti, oſtendunt diuiſores ſex.

1. 12. *As* $\frac{12}{12}$ $\frac{1}{1}$.
2. 6. *Semis* $\frac{6}{12}$ $\frac{1}{2}$.
3. 4. *Triens aut Quadrans* $\frac{1}{3}$ $\frac{1}{4}$.

Exemplum diuiſi Taleri per denarios 288.

1.	288.
2.	144.
2.	72.
2.	36.
2.	18.
2.	9.
3.	3.

3. 3. 9.
2. 6. 6. 18.
2. 4. 12. 12. 36.
2. 4. 8. 24. 24. 72.
2. 4. 8 16. 48. 48. 144.
2. 4. 8. 16. 32. 96. 96. 288.

Itaque numeri ordine diſpoſiti, diuiſores oſtendunt octodecim.

1.	288.
2.	144.
3.	96.
4.	72.
6.	48.
8.	36.
9.	32.
12.	24.
16.	18.

Quid

Quid eſt Aurea Regula?

Eſt inuentio quarti numeri, tribus datis: uulgò uoca[t]*tur regula Detri. Nam ſi è tribus datis primus diuidat fa*[-]*ctum à reliquis, quotus erit quartus proportionalis. Vt datis 4.2.6. multiplica tertium per ſecundum, habebis 12: quæ diuide rurſus per primum, habebis tria in quoto pro quarto proportionali.*

Aliud exemplum. Octo luſcinias emi duodecim aſsibus, decem luſcinias quot aſsibus emam?

Vt 8, ad 12: ita 10 ad 15.

FINIS.

DE

DE GEOMETRIA.

Quid eſt Geometria?

Eſt ars benè metiendi, cuius ſubiectum eſt Magnitudo, cuius extremum dicitur Terminus.

Quomodo diuiditur Magnitudo?

In Lineam & Lineatum.

Quid eſt Linea?

Eſt magnitudo tantum lõga. Lineæq; terminus eſt punctum: eſt autẽ punctum ſignum in magnitudine indiuiduũ.

Quottuplex eſt Linea?

Duplex: Recta & Obliqua.

Quid eſt Linea recta?

Quæ intra ſuos terminos æqualiter interiacet.

Quid eſt Obliqua?

Quæ intra ſuos terminos inæqualiter interiacet. Eſtq; uel peripheria, uel helix.

Quid eſt Peripheria?

Eſt linea quæ diſtat æqualiter à medio comprehenſi ſpacij. Itaq; fit conuerſione lineæ, altero termino quieſcente, altero lineante.

Quid eſt Helix?

Eſt linea quæ diſtat inæqualiter à medio comprehenſi ſpacij.

Quot ſunt affectiones lineæ?

Duæ: Perpendiculum, & Paralleliſmus.

Quid eſt Perpendiculum?

Sunt duæ lineæ inter ſe rectæ, quarum altera in alteram incidẽs æqualiter interiacet. Itaq; ſi recta eſt perpendicularis rectæ, eſt ab eodẽ termino ſingularis et unica. Nã ſi plures eſſent,

ſent, altera inclinaret, neque æqualiter interiaceret.

Quid eſt Parallelіſmus?

Eſt linearum æquidiſtantia. Lineæ enim parallelæ ſunt quæ ubique diſtant æqualiter.

Quid eſt Lineatum?

Eſt magnitudo pluſquam longa.

Quot ſunt affectiones Lineati?

Duæ: Angulus & Figura.

Quid eſt Angulus?

Eſt lineatum in communi ſectione terminorum. Sic angulus ſuperficiarius eſt ſuperficies in cõmuni ſectione duarum linearum : ſic angulus ſolidus eſt corpus in communi ſectione trium minimum ſuperficierum.

Quænam ſunt crura anguli?

Sunt termini comprehendentes angulum : ab Euclide uocantur latera.

Quottuplex eſt Angulus?

Duplex: Rectus & Obliquus.

Quid eſt Rectus?

Cuius crura inter ſe ſunt recta.

Quid eſt Obliquus?

Cuius crura ſunt inter ſe obliqua, eſtq; obtuſus, aut acutus.

Quid eſt Obtuſus?

Eſt Obliquus maior recto.

Quid eſt Acutus?

Eſt obliquus minor recto.

Quid eſt Figura?

Eſt lineatũ undiq; terminatũ. Sic triangulum eſt figura: quia eſt planũ tribus laterib. undiq; terminatũ. Sic circulus eſt figura: quia eſt planũ una peripheria undiq; terminatum.

Quænam

Quænam ſunt partes figuræ?

Centrum, Perimeter, Radius, Diameter, Altitudo.

Quid eſt Centrum?

Eſt punctum in figura medium.

Quid eſt Perimeter?

Eſt comprehenſio figuræ.

Quid eſt Radius?

Eſt recta à centro ad perimetrum Platoni ἀκτίν.

Quid eſt Diameter?

Eſt recta inſcripta figuræ per centrum: quæ in planis & rectilineis propriè diagonius dicitur: in ſolidis axis.

Quid eſt Altitudo?

Eſt perpendiculum à uertice figuræ ad baſim.

Quot ſunt ſpecies Figuræ?

Duæ: Superficies & Corpus.

Quid eſt Superficies?

Eſt lineatum duntaxat latum. Eius terminus eſt linea.

Quottuplex eſt?

Duplex: Plana & Gibba. Plana rurſus uel rectilinea, uel obliquilinea.

Quid eſt Rectilineum?

Quod comprehenditur à rectis lineis: eſtque uel triangulum, uel triangulatum.

Quid eſt Triangulum?

Quod comprehenditur à tribus lineis rectis.

Quot ſunt ſpecies trianguli?

Tres: eſt enim ἰσόπλευρον æquilaterum, ἰσοσκελὲς, æquicrurum, & σκαληνὸν, uarium. Eſt item uel rectangulum, uel obliquangulum.

Quænam eſt fabrica trium priorum?

Si duæ æquales peripheriæ à terminis datæ rectæque eiusque interuallo

interuallo concurrunt, rectæ à concurſu ad dictos termini conſtituent triangulum æquilaterum ſuper datam.

Quid eſt triangulum rectangulum?

Quod habet unicum rectum angulum. Itaq; ſi duæ perpendiculares connectantur, conſtituent triangulum rectangulum.

Quid eſt obliquangulum?

Quod nullum angulum rectũ habet: eſtq; uel obtuſangulum, uel acutangulum.

Quid eſt obtuſangulum?

Quod habet unum obtuſum angulum.

Quid eſt acutangulum?

Quod habet omnes acutos angulos.

Quid eſt triangulum?

Eſt rectilineum compoſitum è triangulis. Eius ſpecie ſunt quadratum, oblongum, rhombus, rhomboides, trapezium, multangulum.

Quid eſt Quadratum?

Eſt rectangulum æquilaterum.

Quænam eſt fabrica eius?

Si duæ conterminæ perpendiculares æquales claudantur parallelis, conſtituent quadratum.

Quid eſt Oblongum?

Eſt rectangulum inæquilaterum.

Quid eſt rhombus?

Eſt obliquangulum æquilaterum.

Quid eſt rhomboides?

Eſt obliquangulum inæquilaterum.

Quid eſt trapezium ſeu menſula?

Eſt quadrilaterum non parallelogrammum.

Qui

Quid eſt multangulum?

Quod pluribus quàm quatuor lineis rectis comprehenditur.

Quid eſt Circulus?

Eſt planum rotundum.

Quid eſt Gibbum?

Eſt ſuperficies quæ inæqualiter intra ſuos terminos interiacet. Eſtq; ſphæricum, aut uarium.

Quid eſt Sphæricum?

Eſt gibbum æquidiſtans à centro comprehenſi ſpacij.

Quid eſt Varium?

Eſt gibbum, cuius baſis eſt peripheria, latus recta à termino uerticis in terminum baſis. Eſtq; conicum aut cylindraceum.

Quid eſt Conicum?

Eſt quod à ſubiecta peripheria æqualiter faſtigiatur ad uerticem. Fitq; conuerſione lateris circa ſubiectam peripheriam.

Quid eſt Cylindraceum?

Quod à ſubiecta peripheria ad ſublimem æqualem & parallelam peripheriam æqualiter erigitur, Fitq; cōuerſione lateris circa duas peripherias æquales & parallelas.

Quid eſt Corpus?

Eſt lineatum latum & altum.

Quid eſt terminus corporis?

Eius terminus eſt ſuperficies.

Quottuplex eſt Solidum?

Duplex: Planum & Gibbum.

Quid eſt ſolidum planum?

Quod comprehenditur à ſuperficiebus planis: eſtq; pyramis, aut pyramidatum.

Quid

Quid eſt Pyramis?

Eſt ſolidum planum à baſi rectilinea æqualiter faſ-giatum.

Quid eſt Tetraëdrum?

Eſt pyramis ordinata à quatuor triangulis compre-henſa.

Quænam eſt fabrica Tetraëdri?

Si quatuor triangula ordinata æqualia ſolidis angu-lis componantur, comprehendent tetraëdrum.

Quid eſt Pyramidatum?

Eſt ſolidum planum à pyramidibus comprehenſum.

Quid eſt Cubus?

Eſt rectangulum Iſoëdrum.

Quid eſt ſolidum Gibbum?

Eſt quod comprehenditur à ſuperficie gibba: ut ſphæ-ra, conus, cylindrus.

Quid eſt Sphæra?

Eſt gibbum rotundum.

Quid eſt Conus?

Eſt quod à conico & baſi comprehenditur.

Quid eſt Cylindrus?

Eſt quod à Cylindraceo & oppoſitis baſibus compre-henditur.

FINIS.

DE ASSE.

Quid eſt As?

Eſt numerus duodenarius, qui ob diuidendi commoditatē multis rebus accōmodatur. Ein dutzet oder ein zwölffer, oder ein ſchilling.

Quot ſunt partes Aſſis?

Duodecim.

Vncia eſt duodecima pars aſsis $\frac{1}{12}$ *ein pfenning.*

Sextans eſt ſexta pars $\frac{1}{6}$ *duæ unciæ* $\frac{2}{12}$.

Quadrans eſt quarta pars $\frac{1}{4}$ *tres unciæ* $\frac{3}{12}$: *à quibus & teruncius dicitur, ein Dreyer.*

Triens eſt tertia pars $\frac{1}{3}$ *quatuor unciæ* $\frac{4}{12}$.

Quincunx ſunt quinq; unciæ $\frac{5}{12}$.

Semis uel ſemiſsis dimidium aſsis $\frac{1}{2}$ *ſex unciæ* $\frac{6}{12}$.

Septunx ſunt ſeptem unciæ $\frac{7}{12}$.

Bes uel beſsis: dictus quaſi des: id eſt, bis triens, $\frac{2}{3}$ *octo unciæ* $\frac{8}{12}$.

Dodrans ſunt tres quadrantes $\frac{3}{4}$ *nouem unciæ* $\frac{9}{12}$ *dictus quaſi dempto quadrante.*

Dextans ſunt quinq; ſextantes $\frac{5}{6}$ *uel unciæ decem* $\frac{10}{12}$: *dictus quaſi dempto ſextante.*

Deunx ſunt undecim unciæ $\frac{11}{12}$: *dictus quòd deſit illi uncia.*

As ſunt duodecim unciæ $\frac{12}{12}$ *uel unum integrum* $\frac{1}{1}$.

Ab aſſe dicuntur Aſsipondium: id eſt, unius aſsis pondus: dupondius duorum aſsium: treſsis trium aſsium, quadruſsis quatuor aſsium: octuſsis, decuſsis, centuſsis: quo maius æris uocabulum apud antiquos non fuit.

DE ASSE PLENIOR DOCTRINA.

Quid eſt As?

Eſt numerus duodenarius, qui ob diuiſionis commoditatem multis rebus accommodatur. As, pondo & libra, idem ſignificant.

Quot ſunt conſid. in Aſſe?

Duo: Partes & Res quibus applicatur.

Quænam ſunt eius partes?

Vncia, Sextans, Quadrans, Triens, Quincunx, Semis, Septunx, Bes, Dodrans, Dextans, Deunx, As.

Quid eſt Seſcunx?

Eſt uncia & unciæ dimidium: quæ etiam ſeſcuncia dicitur: ſicut ſeſcuplum aut ſeſquiplũ pro ratione hemiolia, quæ Latinè ſeſquialtera: ut cùm ſex ad quatuor comparamus tria ad duo in genere ſuperparticulari.

Quid eſt Seſqui?

Seſqui in compoſitione, idem eſt quod tantundem & ſemis, Græcè ἡμιόλιον. Vt ſeſquipes: id eſt, pes & dimidium pedis: ſeſquicubitus: id eſt, cubitus & dimidiatus: ſeſquidigitus, ſeſquijugerũ, ſeſquipedalia tigna apud Cæſarem lib. 4 de bello Gallico: id eſt, craſſa pedem & dimidiatum. Seſquipedalia uerba metaphoricè apud Horat. in Arte. Nec uerò ſolùm cum uocabulis numerorum ac mẽſurarum, ſed etiam tẽporis & modi componitur. Sic ſeſquihora, ſeſquidies, ſeſquimenſis, ſeſquiannus. Seſquiopera apud Columellam, ſeſquiopus apud Plautum, ſeſquiplaga apud Tacitum lib. 15. cum uno ictu non omnino amputaſſet caput miles, altero dimidiato: id eſt, non ita forti, ſecuit. Græci ſeſqui non habent: ideoq; τρία ἡμιμναῖα: id eſt, tres ſemiminas Demoſthenes pro ſeſquimina dixit: & Xenophon τρία ἡμιδαρεικὰ pro ſeſquiſtipendio. Pendebatur enim militibus Dari-

cus,

tus,qui erat numus tetradrachmalis: id eſt,quatuor drachmas ſeu ſemunciam pendens: uulgò ein lod.

Quot rebus attribuitur As?

In magnis autoribus applicatur ſeptem rebus, Libræ Pedi,Cœlo,Iugero,Hæreditatibus,Vſuræ,Pecuniæ:de quibus hic typus eſt.

- *As eſt in rebus*
  - *Geometricis, ut in*
    - *Ponderibus:ut Libra.*
    - *Mēſuris: ut in*
      - *Pede Ro.*
      - *Iugero.*
  - *Phyſicis,ut Cœlo.*
  - *Politicis, ut*
    - *Hæreditate.*
    - *Vſura.*
    - *Pecunia.*

I. DE LIBRA.

Quot ſunt conſid in Libra?

Duo:Species & Partes.

Quot ſunt ſpecies Libræ?

Libra eſt duplex,Romana & Publica.

Quid eſt Romana libra?

Quæ incidit in rationem aſsis: eſt enim duodenûm unciarum:id eſt,96 drachmarũ.Romani eam in ratione numaria æquarũt Minæ Græcæ, quæ eſt cẽtenûm drachmarũ: ſed addiderunt ſemunciam quaternûm drachmarum, propterea quòd denarius Rom. & drachma Græca idem habent pondus,ut ait Plinius libro 21. cap. ult Drachma Attica(qua Medici utũtur)denarij argẽtei habet pondus. Itaque Rom. libra cùm duodenas habeas uncias: uncia uerò

octonas drachmas: octo drachmæ per 12 multiplicatæ, faciunt drachmas 96, quæ exacta Ro. libræ ratio eſt. Verum ut cum Græca mina, in pecuniaria ſaltem ratione, conueniret: Romani ſemunciam, ut dictum eſt, ei adiecêre: id eſt, 4 drachmas (habet enim uncia octo drachmas) atq; hoc pacto etiam Rom. libra, quantum ad rationem nummariam, facta eſt centenaria De hac libra paſſim autores ueteres loquuntur: & hodie Pariſienſes ac ferè Gallia tota adhuc Romanas habet uncias: ſed Germani & maximè Rhenani eas aliquantulum imminuerunt. Vnde & hodie uocabula ſunt, Troianiſch gewicht vnd Rheiniſch gewicht.

Quid eſt Publica libra?

Eſt hodie uſitata libra, quæ à ratione aſſis recedit: eſtq́ uel zygoſtatica, uel numularia.

Quid eſt Zygoſtatica libra?

Eſt ſenûm denûm unciarum, Galli Regiam *uocant. Ea utuntur negociatores, pigmẽtarij, aromatarij, & omnes qui appenſas merces uendidant. Dicta à Zygoſtatis, qui ſunt libripendes per urbes conſtituti.*

Quid eſt Numularia libra?

Eſt octonûm unciarum. Eſt itaq; bes Romanæ libræ, & dimidium publicæ: unde & octonaria & ſelibra publica dicitur: uulgò Marca. Ea utuntur monetarij, aurifices & uaſcularij. Libra igitur Zygoſtatica habet duas Marcas, Romana ſeſquimarcã. Ein gemein lãdpfundt hat zwey marck. Ein Römiſch pfundt hat anderhalb marck. Ein marck hat 8. uncias oder 16 lod. Ein landtpfundt hat doppel mehr, nemlich 16 uncias, oder 32 lod, Ein Römiſch pfundt hat 12 uncias, oder 24 lod.

Quænam ſunt partes Libræ?

Eadem quæ Aſſis; ſed præcipuè hîc Vncia conſideratur: id

tia:id eſt, duodecima libræ pars ſeu monas, dicta ab unitate.

Quot ſunt eius Diuiſiones?

Quatuordecim. Diuiditur enim decies quater: ut hic uides.

I. In Semuncias duas: uulgò Lod.

II. In Duellas tres. Duella igitur, dicta à duabus ſextulis, unciæ triens eſt.

III. In Siciliquos quatuor, ſic dictos quòd ſemunciã ſecent: eſt enim ſiciliquus unciæ quadrans, ſeu ſemunciæ ſemis: ein halb lod, duæ drachmæ, zwey quintlin.

IIII. In Sextulas ſex. Continet autem ſextula ſiliquas 24 ein ort ἑξάγιον, ς' ἄγιον.

V. In Drachmas octo. Drachma, Latinis denarius, Græcè ὀλκὴ: *omnem uerſat rem nummariam: nam denarij argentei habent drachmæ pondus. Sunt & didrachmi aurei Romani ueteres. Drachma 72 grana habet ſeu terna ſcrupula: eſtq; octaua pars unciæ, ſemunciæ quarta: ineptè uulgò Quintula, cùm potius ſit Quartula. Argentarij Galli* groſſum *appellant:*

VI. In Semiſextulas duodecim. Donatus putat à Cicerone libellam dictam: eſtq; unciæ uncia.

VII. In Tremiſſes octodecim, qui non ſunt admodum in uſu.

VIII. In Scrupula uigintiquatuor. Scrupulum etiam gramma dicitur: quia tot ſunt Græcorum literæ. Continet 24 grana: (nam drachma octaua unciæ pars, terna habet ſcrupula) & ſex ſiliquas.

IX. In Obolos quadraginta octo: qui & ſemiſcrupula dicuntur: obolus enim ſcrupuli dimidium eſt. Drachma igitur 6 obolos habet: obolus tres ſiliquas & 4 chalcos.

X. In biſsiliquas ſeptuaginta duas. Biſsiliqua ſiliqua dupla eſt.

XI. In Ceraces ſeu cerates nonaginta ſex: qui & ſemioboli.

XII. In Siliquas 144. Græci κεράτιον *uocant: id eſt, ſiliquæ granum. Vulgò Sant Iohans brot Pendit ſextam ſcrupuli, tertiam oboli, decimam octauã drachmæ partem: & quaterna grana hordei.*

XIII. In Chalcos 192: ut ſiliqua ſit ad eos epitrita: id eſt, ſeſquitertia. Chalcûs eſt oboli quarta pars, continetq; noſtratia grana tria, cùm ſiliqua habeat 4.

XIIII. In Grana 576. Græcis σιτάρια. *Granum cardo eſt omniũ diuiſionum noſtra ætate & tribus maximè attenditur, ſemũcia, drachma & ſcrupulo. Semũcia continet grana 288: drachma 72: ſcrupulũ 24. Eſt autem granum ſiliquæ quarta ſcrupuli 24, drachmæ 72 pars.*

Quænam eſt ratio unciæ ad ſuas partes?

Ea quam diuiſionis numerus indicat: ut ſi in duas partes diuidatur, dupla: ſi in tres, tripla. Itaq; ad ſemunciam dupla eſt, ad duellam tripla, ad ſiciliquum quadrupla, ad ſextulam ſextupla, ad drachmam octupla, ad ſemiſextulam duodecupla ſeu libralis, ad tremiſſam ſeſquilibralis ſiue decupla octupla: & ſic de reliquis.

Quid hodie fit?

Noſtra ætate monetarij, aurifices, numularij doctiores, libram ſuam à ſemuncia (quæ eſt granorum 288) auſpicãtur: in medijs diuiſionibus duplam, triplam, quadruplam rationem obſeruant: & à ſcrupulo deinceps uicenariã quaternariam diuiſionẽ ordiuntur. Scrupulũ enim diuidunt in 24 grana, granũ in 24 carrubas, carrubam in 24 minuta, minutum in totidem minutula: quod minutiſsimum eſt.

II. DE PEDE ROM.

Quot ſunt conſid. in Pede Romano?

Duo Partes & Vaſa geometrica.

Quot ſunt partes Pedis?

Duodecim pollices. Cùm enim ſenûm denûm digitorum numerus in aſsis rationem minus aptè uenire poſſet, duodecim pollices inuenti ſunt: nempe ut quaternis digitis (quot ſunt in tranſuerſa manu ſeu minore palmo) terni pollices: & duodenis digitis (quot ſunt trium tranſuerſarum manuū ſiue palmi maioris) noueni pollices, qui pedis quadrantem faciunt, æquarentur. Quod etiamnum apud noſtræ ætatis operarios manet. Ergo

Pedis {
Vncia, eſt pollex
Sextans, duo.—
Triens, quatuor.
Quadrans, tres.
Quincūx, quinq;.
Semis, ſex.
Septunx, ſeptem.
Bes, octo.
Dodrans, nouem.
Deunx, undecim.
As, duodecim.—
} *Pollices ſunt.*

Quottuplex eſt Palmus?

Duplex: Minor & Maior.

Quid eſt Minor?

Eſt manus tranſuerſa: Græcè παλαιστὴ: *eſtq; pedis quadrans, quaternûm digitûm, trium pollicum.*

Quid eſt Maior?

Eſt manus extenſa, ſeu tres tranſuerſæ: Græcè: σπιθαμή: *eſtq; pedis dodrãs, duodenûm digitûm, nouenûm pollicum:*

triplus ad minorem. Hiſce duobus palmis uulgus hodie utitur in menſurandis calceis: nempe manu extenſa pro maiori palmo: deinde medio digito in tergum inclinato ad mediam iuncturam uſq; pro minore palmo.

Quǽnam uocas uaſa Geometrica?

Menſuras & Pocula.

Quot ſunt conſideranda in Menſuris?

Duo: Fabrica & Species.

Quǽnam eſt eorum Fabrica?

Ex pedis Rom. longitudine, tanquam certa radice & regula, omnes mẽſuræ in certa quadra redigi poſſunt, quæ partim cubica, partim oblonga fiunt; idq; multiplicatione cubica, nomine inter aduerbia incluſo. Ad quam rem pollices: id eſt, unciæ pedis ſunt accommodabiles, ut nulla alia menſura aptior ſit.

Quǽnam ſunt menſurarum ſpecies?

Maximarum eſt Culeus: mediarum Amphora ſeu Quadrantal: minimarum Sextarius.

Quid eſt Amphora?

Eſt menſura Rom. quæ pedem in omnes dimenſiones habet. Dicendo enim, duodecies duodecim duodecies, producitur cubus millenis ſeptingenis uicenis octonis cubis, pollicari magnitudine in quadrum. Amphora igitur ex cubica unius pedis multiplicatione producitur. Dicitur autẽ etiam κεράμιον, ςάμνον, κύβιον, ἡμιμέδιμνον. Medimnus enim binas amphoras continet.

Quǽnam ſunt eius partes?

Vrna, Modius, Congius, & Sextarius.

Quid eſt Vrna?

Eſt amphoræ dimidium. Fit ſi duodecies duodecim ſe-

ties multiplices, octingenûm ſexagenûm quaternûm pollicum quadratorum. Cuius urnæ longitudo ac latitudo, integri, ſed profunditas dimidiati pedis eſt. Ratio quidem quadra, ſed dimidio à cubica deficiens. Eſt Friburgenſis ſextarius triticarius.

Quid eſt Modius?

Eſt tertia pars amphoræ. Amphora enim continet tres modios. Fit ſi octies nouem octies multiplices: quinquagenûm ſeptuagenûm ſenûm pollicum quadratorum. Latitudo ac profunditas octonis pollicibus, longitudo nouenis conſtat: paululum à cubica ratione deficit.

Quid eſt Congius?

Eſt octaua pars amphoræ. Inter uaſa reliqua celeberrimum eſt. Fit per ſexies ſex ſexies ducenûm denûm ſenûm pollicum, uerè cubica multiplicatione. Hunc efficit dimidiatus pes: ſecundum cuius unciarum diuiſionem ſextarij in congio notantur. Vnde apparet, non ut totus pes amphoram facit, ita pedis dimidium producere amphoræ dimidium, ſed octauam eius duntaxat partem. Si enim in medio amphoræ pes Rom ad angulos rectos in trinam dimenſionem, ſectionem faciat, emergent octonæ æquales partes in ea: quaternæ supernè & infernè: qui ſunt octoni in amphora congij.

Quid eſt Sextarius?

Eſt quadrageſima octaua pars amphoræ, & ſexta congij, unde etiam ſextarius dicitur. Fit per ter quatuor ter, ut eius capacitas ſeu inane ſit tricenûm ſenûm pollicũ. Longitudo eſt quaternûm, latitudo ac profunditas ternûm pollicum. Continet duodecim cyathos: hoc eſt, dimidium menſuræ Friburgenſis Briſgoiæ. Pariſienſis Seſquicheopina.

Sextarius cõtinet XII. cyathos. Ergo cyathi.

XII.	*Sextarius. As. 2 lib. Rom. Nam Iſidorus ſextarium dupondium facit: id eſt, 24 unciarum.*
XI.	*Deunx. j lib & 10 unciæ.*
X.	*Dextans. j lib. & 8 unc.*
IX.	*Dodrans. j lib. 6 unc.*
VIII.	*Bes. j lib. 4 unc.*
VII.	*Septunx. j lib. & 2 unc.*
VI.	*Semis. j libra.*
V.	*Quincunx. 10 unc.*
IIII.	*Triens. 8 unc.*
III.	*Quadrans. 6 unc.*
II.	*Sextans. 4 unciæ.*
I.	*Vncia ſextarij 2 unciæ. Heſych. δέχεται δ' ὁ κύαθος ὑγροῦ τινὸς οὐγγίας δύο.*

Quid eſt Cyathus?

Eſt ſextarij uncia ſeu 12 pars. Inane eius 3 pollicũ: lõgitudo binũ pollicũ, latitudo ſeſquipollicis, profunditas pollex.

Cochlearea

XII.	*Cyathus. As. 2 unciæ. Tres pollices.*
XI.	*Deunx. j uncia 5 Sextulæ.*
X.	*Dextans. j uncia & 4 Sext.*
IX.	*Dodrans: ſeſquiuncia. Cyamus.*
VIII.	*Bes. j unc. & 2 ſex. Duo pollices.*
VII.	*Septunx. j uncia & j ſext.*
VI.	*Semis. j unc. Concha minor Cygnus.*
V.	*Quincunx. 5 ſextulæ.*
IIII.	*Triẽs. 4 ſext. Vnus pollex Myſtrũ magnũ.*
III.	*Quadrans. 3 ſext. ſemun. Myſtrũ paruum Cheme magna.*
II.	*Sextans. 2. ſext. Corus apud Georg. Vallã.*
I.	*Vncia. j ſextula, Cochlear. 4 ſcrupula.*

Quid

Quid eſt Cochlear?

Eſt cyathi uncia. Eſt minima igitur menſurarum.

Quid eſt Acetabulum?

Eſt ſeſquicyathus ſeu quarta heminæ pars : Græcis ὀξύβαφον, *nomē in ſacris literis frequens. Eſt trium unciarum ſeu 24 drachmarum: Longitudine binorum pollicum, latitudine & profunditate ſeſquipollicari. Atq; hæc de Menſuris. Sequuntur pocula.*

Quænam ſunt Pocula?

Apud Rom. nomina omnium aſsis partium uidentur in poculis fuiſſe. Nam apud claſsicos autores leguntur adhuc quædam, quæ nomen ex aſsis partibus habent. Vt,

Dodrans. *Muſarum poculum, Ein halbe Baſsler maſs: eſt* nouenûm cyathûm. *Poëtarum,* ἢ τῶν θ' μουσῶν ποτήριον: *olim ebriorum iudicatum, quod hodie ſobriorum eſſet. Meminit Horatius lib. 3. Carm.* Ode 19: *Ternos ter cyathos attonitus petet Vates. & Auſonius in grypho ternarij: Ter bibe uel toties ternos, ſic myſtica lex eſt. Deficit tribus cyathis à ſextario.*

Bes, *ſunt octo cyathi : Martialis :* Quincunces *& ſex cyathos, beſſemq; bibamus. Cheopina Pariſienſis: dimidium pintæ.*

Semis, ſunt ſex cyathi : ut Martialis modò dicto uerſu: ſextarij dimidium: Benedictinorum poculum. Pondus eius eſt libra: id eſt, 12 unciæ. Dicitur & Hemina, κοτύλη *&* τρύβλιον.

Quincunx, ſunt quinq; cyathi. Mart. paulò antè utitur:

Triens, eſt quaternûm cyathûm : eius magnitudine ferè hac ætate in honoratorum uirorū ædibus pocula uiſuntur in quotidianum uſum facta. Martialis : Seruabor dominæ Ruffe triente tuo.

Quadrans,

Quadrans, eſt trium cyathorum. Gratiarum poculum Gratijs & ſobrietati dicatum. Viduarum ac uirginum poculum noſtra ætate. Martialis: Quadrantem duplices de ſeniore cado.

Sextans, eſt duorum cyathorum. Martialis: Sextantes Calliſte duos infunde Falerni. Atq; hæc de Menſuris & Poculis Rom. E quib. Hebræorũ menſuræ facilè menſurātur.

Quǽnam ſunt Hebræorum menſuræ?

Sunt octo præcipuè, quas Robertus Cenalis deſcripſit. Log, Kara, Hin, Seah, Cab, Gomor, Ephi, Lethech, Corus.

Quid eſt Log?

Eſt duodecima pars Hin, ut Sanctes Pagninus ex Rabi Dauide trahit. Ab Hebræis dicitur eſſe ſex ouorum capax. D. Hieronymus ſextarium uertit Leuitici 14. Hic Robertus duplicem ſextarium facit. Vnum Romanum, 12 cyathorũ alterum Hebraicum, octonûm cyathûm, ſeu dimidiam pintam Pariſienſem.

Quid eſt Kara?

Eſt ſeſquicyathus, ὀξύβαφον, acetabulum, Eſsigfäſsli, ſauciere.

Quid eſt Hin?

Eſt ſemodius Rom. autore Ioſepho lib. 3. Antiq. cap. 15 habet Choas Atticos geminos. Chus autem heminas octo, ſextarios 4 continet. Hin igitur Choë duplo maior, & Hin Græcè δίχους *appellatur, ſenûm Pintarum, librarum Rom. denûm ſenûm. Eſt eius mentio Ezechielis 45 & 46. Item cap. 4. ita ait Propheta: Aquam in menſura bibes, ſextam partem Hin: id eſt, pintam, hoc eſt, 16 cyathos.*

Quid eſt Seah?

Eſt modius Rom. ſeu ſexta amphoræ pars. Rabi Salo-

mon

mon ita habet: Satum ſex habet Cabos, Cabus 4 Log, Log uerò ſex oua. Ex his liquet Satum tertiam partem amphoræ eſſe, ut & modius eſt. Mētio eius eſt Geneſ. 18 & 4. Reg. 7. D. Hieronymus ait Satum continere 144 oua.

Quid eſt Cab?

Cabus continet cyathos 32. ſeu duas pintas Pariſinas, ut ex iam dictis Rabi Salomonis uerbis patet. At Sanctes Cabum ſex medimnis circumſcribit, ut ſit amphorarum 12, ad illum locum qui eſt 4 Reg. 6.

Quid eſt Gomor?

Eſt decima pars Ephi, ut Ephi & Batus decima pars Cori, ut patet Ezechielis 45. Quidam putant Ioſepho aſſarion dictum. Quādo autem Epha, idem eſt quod amphora, amphora uerò habet 48 ſextarios Rom. denique cùm Gomor ſit decima pars Ephi, ſequitur Gomor habere propemodum quinque ſextarios: in ſumma deſunt duo ſextarij.

Quid eſt Epha?

Eſt decima pars Cori, ut eius decima pars eſt Gomor. Maximè celebris mēſura apud Hebræos. Porrò, ut diximus, Batus & Ephi idem ſunt in Ezechiele cap. 45. Batus autem, autore Ioſepho, habet ſextarios 72, quod de minore ſextario intelligit Robertus. Ergo pintas 36, quæ faciunt amphoram. Igitur idem ſunt Ephi, Batus & Amphora. Probationem ſumit Robertus ex Eſaiæ cap. 5. ubi noſtra tranſlatio habet: Triginta modij ſementis facient modios tres: ibi Hebræi habent: Corus ſementis faciet Ephi. Vbi D. Hieronymus: Triginta (inquit) modios pro Coro poſuimus. Hinc apparet, quemadmodum 30 modij reſpondent Coro, ita Ephi tribus modijs. Et Ruth ſecundo, pro Epha, æditio Chaldaica habet tria Sata. Et Rabi Salomon in Ezech. 45 aſſeuerat Epha & Batum tria capere Sata. Item

3. Reg. 7.

3 Reg. 7. idem inquit duo millia Batorum comprehende- ſex millia Satorum. Idem Rabi Exodi 16 ait Ephi conti- nere tria Sata.

Quid eſt Lethech?

Eſt dimidius Corus: id eſt, quindecim modij Rom. ſe- quinq; Ephi. Semel tantùm in Biblijs inuenitur, Oſeæ 3: Fo- di eam mihi 15 argenteis & Coro hordei & dimidio Co- ro hordei. Vbi pro dimidio Coro, ponitur Lethech. Corus autem & dimidium eius D. Hieronymus ad 45 modios re- duxit.

Quid eſt Corus?

Eſt menſura 30 modiorum ſeu decem amphorarum aut decem Ephi.

Confer hæc breuiter cum Rom. menſuris?

Kara eſt ſeſquicyathus.
Log ſextarij bes.
Cabus 32 cyathi.
Hin, ſemodius.
Satum, modius.
Gomor, quinq; ſextarij.
Ephi, amphora ſeu trés modij.
Lethech, quindecim modij.
Corus, 30 modij ſeu decem amphoræ.

III. DE COELO.

Quomodo As in cœlo eſt?

Eſt in Zodiaco, unde utilis eſt Genethliacis & Aſtrono- mis. Illi enim aſpectus Planetarũ ad Horoſcopum accom- modãt. Eſt autem horoſcopus, ea cœli pars quæ natiuitatis tempore ab ortu, emergit ſupra horizontem. Vtriſq; uero Zodiacus inſtar aſsis eſt, ſigna uerò inſtar 12 unciarum.

Aſpectus

Aſpectus

- *Sextans eſt, qui fit in ſexta Zodiaci parte: id eſt, ſignis duobus, ſiue in tertio ſigno, ſiue 60 gradibus: ob id ſexagenarius dictus & ἑξάγωνος.*
- *Quadrantalis eſt qui fit in quarta Zodiaci parte, ſignis trib. aut in 4 ſigno 90 gradib. τετράγωνος.*
- *Trientalis eſt, qui trientem Zodiaci capit & in quinto ſigno fit, 4 ſignorũ interuallo, gradibus 120. Plinius triquetrum uocat lib. 2. cap. 15. τρίγωνος.*
- *Semiſsis, qui fit diametro, ſex ſignis ſeu in ſeptimo ſigno, per gradus 180.*

IIII. DE IVGERO Romano.

Quid eſt Iugerum?

Eſt menſura agrorũ Rom. ducẽtos & quadraginta longitudinis pedes habẽs, dimidioq́ in latitudinẽ patens. Vide Quintil lib. 1. cap. 10. Varro. lib. 1. de re ruſt. cap. 10. Columel. lib. 5. cap. 1. Ramum lib. 19. Geometr.

Quǽnam eſt eius area?

Multiplica 240 per 120, area erit 28800. pedum.

Quǽnam eſt eius menſura?

Decempeda. Eſt enim uirga denûm pedum ad metiendos agros à Rom. facta: cuius Horatius lib. 2. Carm. Ode 15 meminit. Hæc uicies quater ordine poſita, longitudinẽ: duodecies uerò, latitudinem iugeri menſori expedit. Et ſanè compendioſius iugeri quantitas per decempedam inuenitur, quàm per pedem.

Quǽnam ſunt partes Iugeri?

Primò diuiditur in XII partes uelut uncias. Obueniunt autem unciæ latere lõgiore 60, breuiore 40 pedes: qui multiplicati faciunt 2400 pedes.

Secundò partes eius ſunt apud Columellam Actus quadratus,

dratus, Clima, Verſus quadratus. Actus quadratus eſt dimidium iugeri, 120 pedum in quadrum. Clima eſt ſeſcuncia iugeri, 60 pedum. M. Varro ait Iugum ab Hiſpanis uocari, quod iuncti boues uno die exarare poſſunt. Verſus quadratus, eſt quoquo uerſus centum pedum.

Tertio ab eodem Columella hæ partes eius nominatur.

1. *Obolus ſeu ſemiſcrupulũ, unciæ quadrageſima octaua pars totius iugeri quingẽteſima ſeptuageſima ſexta. Habet alterum latus decem pedum, alterum quinq;: cuius area pedum quinquagenûm eſt.*
2. *Scrupulum: quod habet in lateribus pedes denos.*
3. *Semſextula habet unum latus 20 pedũ, alterum 10.*
4. *Sextula: cuius latera uicenûm pedum.*
5. *Siciliquus: cuius latus unum 20, alterum 30 pedum.*
6. *Semuncia: cuius latus unum 40, alterum 30. pedum.*
7. *Vncia: cuius latus alterum 40, alterum 60 pedum.*

VI. DE HÆREDITATE.

Quomodo diuiditur hæreditas?

Iuſtinianus lib. 2. Inſtit. diuidit hæreditatẽ in duodecim uncias. Vbi etiam admonet aſſem: id eſt, hæreditatem non ſemper in XII. partes diuidi, ſemper tamen in aſsis rationem. Aſsis enim rationem obtinet etiam numerus ſenarius, uicenarius, quaternarius & tricenarius ſenarius: hoc eſt, ſemiſsis, dupondium & tripondium.

Quomodo aſſis rationem habet ſenarius?

Quia (*ut Vitruuius lib. 3. cap. 1. ante docet*) in *ſenario*:

- *Vnitas eſt ſextans.*
- *Binarius eſt triens.*
- *Ternarius eſt ſemis.*
- *Quaternarius eſt bes.*
- *Quinarius eſt dextans.*
- *As eſt ipſe ſenarius.*

Quomodo

Quomodo dupondium habet rationem aſſis?

Quia in uicenario quaternario, duæ perpetuò unciæ pro una habentur. Vt,

1.	2.	7.	14.
2.	4.	8.	16.
3.	6.	9.	18.
4.	8.	10.	20.
5.	10.	11.	22.
6.	12.	12.	24.

Nam hic binarius eſt uncia, quaternarius eſt ſextans, ſenarius eſt quadrans, octonarius eſt triens, denarius eſt quincunx, duodenarius eſt ſemis, &c.

Quomodo tripondium?

Quia in tricenario ſenario, ſemper tres unciæ pro una numerantur: ut hic.

1.	3.	7.	21.
2.	6.	8.	24.
3.	9.	9.	27.
4.	12.	10.	30.
5.	15.	11.	33.
6.	18.	12.	36.

Nam hic ternarius eſt uncia, ſenarius ſextans, nouenarius quadrans, duodenarius triens, &c.

VI. DE VSVRA.

Quid eſt Vſura?

Quod ſorti accedit. Eſt autem ſors principale mutuum. Die hauptſum. Vt autem uſura pecuniæ quaſi fructus, ita fœnus naturalis terræ fructus eſt, qui ex ſolo ipſo capitur.

Quottuplex eſt Vſura?

Duplex: Terreſtris & Nautica.

Quottuplex eſt Terreſtris?

Duplex: Minor & Maior.

Quænam ſunt minores Vſuræ?

Vnciaria, ex ſextante, quadrante, triente, quincunce, ſemiſſe. Vnciaria, cùm centenarius ſingulos in annum parit. Liuius uocat unciarium fœnus. Dimidium eius ſemunciarium dicitur lib. 7. ab V. C. Ex ſextante eſt, cũ centenarius binos parit: Vom hundert zwen guldin. Ex quadrante, cùm centenarius ternos parit. Ex triente (quæ & trientaria) cùm quaternos: quam Antoninus Pius Imp. tanquam minimam exercuiſſe dicitur, ut patrimonio ſuo plurimos adiuuaret. Ex quincunce, de centũ quinq;. Ex ſemiſſe, de centum ſex, de mille ſexaginta. Et ſic deinceps.

Quænam ſunt Maiores?

1. *Ex aſſe, quæ duodenos nummos annuos in ſingulos centenarios parit: id eſt, menſtruos ſingulos. Hæc Græcis* drachmalis, *Latinis centeſima dicitur. Drachmalis à drachma: centum enim drachmæ faciunt libram Atticam. Centeſima, quòd centeſimo menſe æquet ſortem. Nam uſurarum dies in ſingulos menſes olim cedebant. Plinius iunior hanc duodenos aſſes parere ait.*

2. *Ducenteſima, ſeu ex duobus aſsibus, quam Cicero Verri obijcit, quæ 24 aſſes in centenarios ſingulos parit. Vom 100. 24 fl.*

3. *Seſquicenteſima, vom 100. 18. Cuius mentio apud Demoſthenem in oratione aduerſum Aphobum tutorem ſuum, quæ lege X I I tabb in actione rei uxoriæ taxata erat. Eam enim nouem obolorũ facit, quam ſeſquidrachmalem appellare licet: ualet enim drachma ſex obolis.*

4. *Tripla centeſima: cuius exemplũ eſt apud Athenæum*

lib. 13.

lib. 13 ad finem ex oratione Lyſiæ: uocat autem eam trinûm drachmarum Vom. 100.36 ſl.

Quottuplex fuit Nautica uſura?

Duplex: Vna, quæ in alteram tantùm nauigationem ſtatuebatur: Græcis ἑτερόπλους, hinüber. Altera ita contrahebatur ut non aliter deberetur, nec ipſa, nec ſors eius, quàm ſi nauis cum mercibus ſoſpes domum rediiſſet: Græcis ἀμφοτερόπλους, hinüber vnd widerumb herüber. Porrò ex uſuræ nō ſunt menſtruæ, ſed ſemel ſtatutæ in maris commeatum ἑτερόπλουν: aut remeatum ἀμφοτερόπλουν.

VII. DE PECVNIA.

Quottuplex fuit moneta apud Romanos?

Triplex: Aerea, Argentea, Aurea. Aereo nummo diu uſus eſt populus Roman. eoq́ primùm graui, expenſo, rudi & informi. Dein ſignato pecudum nota, unde pecunia, autore Plinio libro 33. cap. 3. ſub Seruio Tullio VI. Rege.

Quando argentea ſignata eſt?

Argentum, ut Plinius ibidem ait, ſignatum eſt anno V. C. 484. quinq; ante primum bellum Punicum. Et placuit denarius pro decem libris æris: id eſt, decem aſſibus: quinarius pro quinq;, ſeſtertius pro dipondio & ſemiſſe. As autem erat libralis nummus: id eſt, in XII. partes diuiſibilis.

Quando aurea?

Secundo bello Punico.

Quænam monetæ apud autores præcipuæ ſunt?

Apud Latinos Denarius & Seſtertius: apud Græcos Drachma, Mina, Talentum.

Quid eſt Denarius?

Eſt argenteus nummus Rom. ualens quatuor Seſtertios: decima pars Coronati ſolaris.

Quottuplex fuit?

Triplex: Primus ſextulæ pondere: id eſt, quaternûm ſcrupulorum. Secundus, qui erat ſeptima pars unciæ. Tertius drachmalis: id eſt, drachmæ pondere, quorum in uncia 8, *in libra Rom. pecuniaria* 100, *ut in mina Græca. Hic eſt frequentior apud autores. Dicitur denarius à decem æreis aſsibus.*

Quænam ſunt eius Partes?

Dimidium ipſius erat Quinarius ſecundùm Plinium: quidam Victoriatum eundem cum Quinario faciunt. Plinius eum ex Illyrico allatum ait, poſtea lege Clodia percuſſum: nomenq́; à ſigno Victoriæ habuiſſe. Denarij præterea partes fuêre dupondius, treſsis, quadruſsis, ſenarius, ſeptuſsis, octuſsis, nonuſsis, decuſsis: quæ uidentur ex argento fuiſſe, ut ſeſtertius & quinarius. At aſsis partes omnes haud dubiè ex ære fuêre.

Quid eſt Seſtertius?

Eſt argenteus nummus Rom. denarij ſeu drachmæ quadrans, continens duos aſſes cum dimidio: unde ſic ſcribitur H–S *uel* L L–S. *Dicitur & nummus & nummus ſeſtertius, ein Basler blappard. Eſtq́; quadrageſima pars Coronati.*

Quid ſunt Seſtertia?

Seſtertia ſingula plurali numero, genere neutro, ſignificant ſingula ſeſtertiorum ſiue nummorũ millia: dicta, quòd ſicut ſeſtertius duos aſſes & ſemiſſem ſignificat: ita illa duas libras & ſelibrã argenti ſingula ualerent. Quare quadringena ſeſtertia & quadringenta millia ſeſtertiorũ ſiue nummorum pro eodem dicunt ueteres.

Quid

Quid ſi per aduerbia loquantur autores?

Tum intelliguntur centena millia ſeſtertiûm. Ortus eſt autem ille loquendi modus apud antiquos ex ſermonis compendio: ut decies ſeſtertiûm: id eſt, decies centena millia ſeſtertiorum. Poëtæ uerò adhuc breuius aduerbia ſola proferunt, ut uno carmine Martialis lib. 1. ad Galenũ, uicies, centies & millies protulit: ubi centena millia ſeſtertiûm intelligas oportet in ſingulis hiſce aduerbijs. Sed initium fit à decies: nunquam enim infra decies locuti ſunt ueteres.

Quid eſt Drachma?

Eſt moneta Attica, eiuſdem cum denario Rom. ualoris. 4 blappard.

Quid eſt Mina?

Eſt nomiſma drachmarum centum: ualens 10 Coronatos ſolares.

Quid eſt Talentum?

Talentum Atticum duplex eſt: Maius & Minus. Maius eſt 80 minarum. Minus (quo ferè Latini ac Græci autores utuntur) eſt 60 minarum: uel ſex millium denariorum. Suidas enim ait Talentum minarum 60 eſſe: minam autem drachmarum centum: drachmam ſex obolorum: quæ inter ſe comparata bellè conueniunt. Itaq; ſi 6000. denariorum per 100 diuidas, in quoto habebis 60 minas: ſin per 10 (ualet enim Coronatus ſolaris denis drachmis ſiue denarijs) habebis 600 Coronatos. Tot enim Coronati dantur Talento Attico minori. Cæterùm diligenter notandum cenſet Budæus, quoties autores de talento ſimpliciter loquuntur, tum eos loqui de Minore ſexagenarum librarum. Quoties uerò de alio, tum addere uel numerum, uel patrium nomen, ut

Euboicum, Babylonicum, Aegyptium ſeu Ptolemaicum. Aeginæticum, Hebraicum, Siclare.

Quomodo igitur hæc omnia ad noſtræ ætatis nomiſmata referuntur?

Noſtra ætate & his noſtris regionibus in uſu ſunt Coronati ſolares, aurei Rhenenſes, floreni, Talarij, cruciferi. Coronato dabimus 24 batzios, uel 40 blappardos ſeu ſeſtertios. Seſtertius enim Baſilienſem blappardum æquat. Dabimus & decem drachmas ſeu denarios. Aureo Rhenenſi dabimus 30 ſeſtertios nummos. Floreno quindecim batzios ſeu 25 blappardos ſeu ſeſtertios, aut 60 cruciferos: Thalarijs 17 batzios.

Si itaq; apud autores
- *Latinos occurret ſumma*
  - *Seſtertiorum uel nummorũ, diuide eam per*
    - *40: & obueniunt ſolares Coronati.*
    - *30, & obueniunt aurei Rhenenſes.*
  - *Denariorũ* — *eam diuide p 10: & habebis Coronatos.*
- *Græcos occurret ſumma drachmarum.* — *eam diuide p 10: & habebis Coronatos.*

100 æris: id eſt, aſsium
40 ſeſtertij ſeu nummi.
10 denarij ſeu drachmæ
Libræ centenariæ pars decima
} *I. Coronatus ſolaris.*

2000 æris
400 ſeſtertij.
100 denarij.
Libra centenaria ſeu mina.
} *X. Coronati ſolares.*

25000	æris.	XXV. Coronati ſolares.
1000	nummûm.	
250	denarij.	
Seſtertia ſingula: id eſt, libræ 2 & ſemis.		

Quatuor Coronati ſolares & ſemis, ſemunciam auri cõtinent: nouem Coron. unciam: & argenti librã duodenariã.

Quinq; Coronati æquant octo aureos quinûm denûm urſorum.

FINIS.

DE ARCHITECTVRA.

Quid eſt Architectura?

Eſt ars domos & ædificia uaria extruendi. Conſtat itaq; ex ratiocinatione & fabrica.

Quid uocas ratiocinationem?

Eam architecturæ partem quæ res fabricandas, aut fabricatas ſolertia ac ratione proportionis demonſtrare & explicare poteſt.

Quid uocas fabricam?

Continuatam & tritam uſus meditationem, quæ manibus perficitur ex materia cuiuſcunque generis: eſtq; opus ad propoſitam deformationem factum.

Quódnam eſt Architecturæ ſubiectum?

Domus ſeu ædificium.

Quot ſunt in ædificio conſideranda?

Tria: Cauſæ quatuor, Species, Adiuncta.

Quænam eſt cauſa efficiens ædificij?

Architectus: cui Vitruuius multas artes attribuit ut Grammaticam, Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, Aſtrologiam, Medicinam, Picturam, Plaſticam. Redemptores ſunt qui pretio totum opus faciundum conducunt.

Quænam eſt materia ædificij?

Duæ præcipuæ ſunt, Lapis & Lignum. Ad has pertinent calx & cæmentum. Calx eſt quaſi lapidum ferruminatio. De albo ſaxo aut ſilice, in fornace calcaria per calcarios optima coquitur: utiliſsima ex ſpiſſo ſaxo & duriore: iuſta tamen arenæ mixtione temperatur ad ſtructuram. Arena eſt foſsitia fluuiatica & marina: è quibus craſsior, ſabulum uocatur. Foſsitiæ quartam partem calcis cæteris tertiã addere conuenit. Cæmentum eſt omnis rudior materia, qua ædificia conſurgunt: ſed propriè lapides uulgares ſubduri. His, ut Plinius lib. 36. ſcribit, fractis medij parietes farciuntur. Lapidum in ædificando uicem explent nonnunquam marmora & lateres cocti. Tectoria fiunt uel calce ſuperinducta uel gypſo uel maltha. Tectoriũ etiã loricatio dicitur.

Quænam eſt forma ædificij?

Forma ædificij conſtat duobus, Idea & Perfectione.

Quid eſt Idea?

Eſt deformatio ſeu delineatio operis futuri. Der Modell.

Quottuplex eſt Idea?

Duplex: Vniuerſalis & Particularis.

Quid eſt Vniuerſalis?

Eſt delineatio uniuerſi tecti, quod Græci ſcenam *uocant. Hinc illa ideo Scenographia dicitur, in qua frontis & laterum abſcedentium deformatio eſt.*

Quid

Quid eſt Particularis?

Eſt partiũ delineatio: ut areæ uel frontis: unde eius duæ ſpecies ſunt, Ichnographia & Orthographia.

Quid eſt Ichnographia?

Eſt deformatio areæ: dicta quaſi ueſtigium operis in plano. In grundt legen.

Quid eſt Orthographia?

Eſt delineatio frontis: dicta quaſi erecta imago.

In quibus eſt Perfectio?

In Proportione & Oeconomia.

Quid ſpectatur in Proportione?

Εὐρυθμία & συμμετρία.

Quid eſt εὐρυθμία?

Eſt uenuſta ſpecies, commoduſq; ſingularum partium aſpectus.

Quid eſt συμμετρία?

Eſt uenuſta partium omnium inter ſe conuenientia. Illa igitur in ſingulis membris eſt, hæc in toto. Itaque cùm in ædificijs interioribus magnificis, ueſtibula conuenientia & elegantia erunt facta, erunt ſymmetra. Si autem interiora perfectiones habuerint elegantes, aditus autem humiles & inhoneſtos, erunt aſymmetra.

Quid eſt Oeconomia?

Eſt locorum commoda diſpenſatio accommodata partim naturæ, partim perſonis. Naturæ, ſi loca, aquarũq; fontes ad ſalubritatem accommodentur: ut ſi cubicula & bibliothecæ ortum ſpectent, balnea occaſum, pinacothecæ & quibus certis luminibus opus eſt, ſeptentrionem. Perſonis, ſi ad uſum patrisfam. ædificia diſponantur. Alia enim commoditas eſt ſenatoris uel Cos. alia mercatoris, alia fœnera-

toris, alia delicatorum & potentum. Et quidem alia urba-norum ædificiorum œconomia eſt, quæ altius extruuntur: alia ruſticorum, quæ humilius.

Quis eſt finis ædificij?

Præcipuus eſt defenſio ab iniuria cœli & tempeſtatum. Sed ſunt & alij ſpeciales, ijq́; uarij.

Quot ſunt ſpecies ædificiorum?

Duæ: Alia enim publica ſunt, alia priuata. Publica uel ſacra, uel profana ſunt. Profana uel ad defenſionem, uel ad opportunitatem comparata ſunt. In his omnibus trium ratio habenda eſt: Firmitatis, Vtilitatis, Venuſtatis.

Quænam ſunt ædificia ſacra?

Quæ ad religionem comparata ſunt, ut templa: quorũ forma eſt, uel quadrangula, uel rotunda.

Quænam ædificia comparata ſunt ad defenſionem?

Portæ & turres cum muris, aggeribus, obliquis acceſſibus, & alijs quibus hoſtium impetus arcetur.

Quænam comparata ſunt ad opportunitatem?

Forum, Aerarium, Carcer, Curia, Balnea, Palæſtra, Xyſti, Portus, Structuræ in aqua, Theatrum.

Quænam ſunt partes Theatri?

Porticus, Orcheſtra, Scena, Proſcenium, Odeum, Pulpitum, Cunei hoſpitales.

Quænam ſunt partes priuatorum ædificiorum?

Aliæ ſunt infra terrã, aliæ ſupra terrã. Infra ſunt fundamentũ & cella. Fundamẽtũ in ſolo ſtabili iaciẽdũ eſt. Quòd ſi ſtabile ſolũ non fuerit ob uliginẽ, uel aquarũ exundantiã, fiſtucâ ſublicæ, paliq́; ex alno in primis ad fundamenta panguntur.

Quot

Quottuplex eſt Cella?

Duplex: *Vinaria & Promptuaria ſeu penuaria. Cella locus dictus eſt à celando, ubi aliquid cōditur. Vitruuius: Cella uinaria à ſeptentrione lumina feneſtrarum habere debet. Cùm enim alia parte habuerit quam Sol calefacere poſsit, uinum quod erit in ea cella cōfuſum à calore, efficietur imbecillum. Plinius lib. 14. Latus cellæ uinariæ, aut certè feneſtras obuerti in aquilonem oportet, uel uſque in exortum æquinoctialem: ſterquilinia & arborum radices procul abeſſe, omniaq́ odoris euitandi, facilimo in uina tranſitu: Dicitur & apotheca. Plinius: Vina in apothecis canis ortu mutantur quædam, poſteaq́ reſtituuntur ſibi. Cellam uinariam concluſam & ſubterraneam, ſi loci conditio patitur (nam in pluribus locis hypogea fieri in ædibus uliginis mador nō ſinit) cum pauimento & lacunula in medio ſternere conducet, ut & uina incorruptiora ſeruentur & ſi quid cadorum uitio fuerit effuſum colligi poſsit.*

Quænam ſunt partes ſupra terram?

Parietes & tectum. Parietes ſignificant ſtructuram, corpus uniuerſæ domus ambientem: quæ ſi undiq́ uiam habeat, Inſula dicitur, quaſi ſola poſita. οἰκία, περιάμφοδος ἢ διάλαυρος. *Parietes autem qui ædes intus diſtinguunt, dicuntur Intergerini & Mediani, Rigelwend. Secundum parietes igitur partes domus diuiduntur.*

Quottuplices ſunt igitur partes domus?

Duplices: Aliæ enim ſunt exteriores, aliæ interiores.

Quænam ſunt exteriores?

Podia penſilia, ſeu pergulæ, & exhedræ.

Quid eſt podium penſile?

Eſt locus ad ſpectandū extra parietem inſtar ſuggeſti, uel pulpiti proiectus & mutulis ſuſpenſus, Ein Lauben vor

dem

dem hauſs. Quidam Mœnianum uocant. Idem etiam pergula dicitur. Ein gang, à pergendo. Solent autem loriculis ſeu cancellis cingi, ut incedentes à caſu defendant.

Quid eſt Exhedra?

Eſt locus partim extra parietem proiectus, partim intra ædificium conſiſtens: forma hemicycli. Ein Ercker.

Quænam ſunt partes domus interiores?

Quædam ſunt comparatæ ad lumen immittendum, ut Feneſtræ: quædam ad actiones domeſticas. Debent autem & cubiculis & bibliothecis fieri orientem uerſus feneſtræ, per quas Sol matutinus intrans, aërem purificat. Verùm cùm pro conditione temporum loca ſint in ædibus diſponēda: ita ut cubicula & triclinia habeamus & æſtiua & hyberna (ne ciconiæ, ne grues hominibus prudentiores habeantur) feneſtræ commendantur per æſtates ſeptentrionem ſpectantes: hyemales uerò aërem meridionalem introducentes. Orientales tamen, ſi fieri poteſt, quibuſcunque ferè locis laudantur. Neceſſaria omnibus ſunt ſpecularia, ut ſine aëris nocumento, cùm uolumus, lux admittatur, cùm transluceant, utpote olim facta è ſpeculari lapide translucido, nūc autem uitreis orbibus uel teſſellis plumbo iunctis. Feneſtræ autem ligneæ, cardinibus circumaguntur & uitreis obducūtur: ut lux excludatur. Feneſtris uerò obijciuntur etiam cancelli, & tranſennæ. Cancelli ad muniendum, qui etiam clatri dicuntur: nimirum uel ex ligno, uel ex ferro. Tranſennæ ad celandos tegendosque eos qui per feneſtras caput proferunt.

Quænam partes ſunt factæ ad actiones domeſticas?

Aliæ partes ſunt comparatæ ad ſordidas actiones, ut Latrinæ: aliæ ad honeſtas.

Quid

Quid eſt Latrina?

Eſt locus priuatarum ſordium, dictus à latendo. Foricæ enim loca publica ſunt, ubi licet omnibus uentrem exonerare: ſicut cloacæ loci caui ſunt, quibus publicæ ſordes eluuntur. Latrinæ uerò inter duos parietes ita produci debent, ut in pariete altero foramen ſit, quod operculo tectum, fœdum fœtorem cubiculo reddere non poſsit.

Quǽnam ſunt ad actiones honeſtas factæ?

Quæ uel eundi gratia fiunt, ut Oſtia, uel habitandi.

Quid eſt Oſtium?

Eſt habitationum quæ intra ianuam ſunt, aditus. Ianua enim propriè primus ædium aditus eſt: cætera intra ianuam generaliter oſtia ſunt ſiue ualuas habeant, ſiue fores.

Quottuplex eſt Habitatio?

Duplex: Inferior & Superior.

Quǽnam partes ſunt inferioris habitationis?

Duæ: In Ingreſſu Veſtibulum, in medio Atrium.

Quid eſt Veſtibulum?

Eſt locus ante ianuam. Domos namq; amplißimas ædificaturi ante ianuam locum uacuum relinquebant, in quo togati clientes (qui patronum, qui diuitem orbum ſalutatum ex conſuetudine ueniebant) priuſquã per admiſsionales in ſalutatorio admitterentur, conſiſtebant, & neq; in uia ſtabant, neq; intra ædes erant. Græci προπύλαιον *uocant. Vorſchopff. In ueſtibulo Ianua: id eſt, primus ædium aditus: cuius contrarium eſt poſticum, oſtium in poſteriore ædium parte, Græcè* ψευδόθυρον.

Quǽnam ſunt partes Ianuæ?

Poſtes, limina, fores. Poſtes ſunt latera oſtiorum ſeu arrectaria

rectaria unde oſtium pendet: dicũtur & Antæ (unde antepagmenta ualuarũ ornamenta quòd antis appanguntur: id eſt, affigũtur) Græcis παραστάδες. Limẽ duplex eſt, ſuperius & inferius. Limẽ ſuperius ſuſtinere ſolent ſigilla quædã incurua & gibboſa, quæ Atlantes dicuntur, uirili effigie: aut Caryatides à muliebri figura. Fores ſunt ipſa ligna, quæ aperiuntur: quæ ſi duplices ſint, ualuæ dicũtur: Ouid. lib. 2. Metamorph. bifores ualuas uocat. Fores cardinibus uoluuntur, ſera, peſſulo, obicibus, repagulis clauduntur, claue reſerantur. Veſtibulum in Veſtæ, ianua in Iani, limen in Limentini, Fores in Forculi, cardines in Cardæ Deæ tutela fuerunt.

Quid eſt Atrium?

Eſt primus intra ædes aditus: ubi (ut notauit Seruius) culinam antiqui facere conſueuerunt: hinc atria dicta quaſi atra propter fumi fuliginem: & quia ibi imagines ſuorum maiorum collocabant, eaſdem fumoſas eadem de cauſa Iuuen. uocat Satyra 8.

Quot ſunt partes Atrij?

Duæ: Porticus & Cauædium.

Quid eſt Porticus?

Eſt locus in atrij aditu, ubi ſeruorum & concurrentium turba diuertit. Suſtentatur autem columnis rotũdis, aut pilis quadratis. Columnarũ autem aliæ ſunt teretes, aliæ ſtriatæ ut conchæ. Sunt enim ſtriæ partes columnarum extantes & prominulæ: ſtrigiles uerò cauæ & conditæ, quaſi canaliculi. Epiſtyliũ eſt ſumma pars columnæ, baſis eſt ſpira. Periſtylium à columnis formam accipit: eſt enim locus qui tres, aut quatuor partes porticus habet.

Quid eſt Cauædium?

Eſt locus ſub dio uacuus, cinctus undique porticibus ad cõmunem omnium uſum. Dictum quaſi cauum ædium. Dicitur

ditur & impluuium: quòd eà implucre imber in domum poteſt. In eo puteus fodiendus, aut fons faciendus, niſi in proximo ciuitas fontẽ habeat. Circa cauædium loca uaria diſponentur pro rebus uel animatis, uel inanimatis. Animatæ ſunt homines, uel beſtiæ. Pro hominibus autem uel ſanis, uel ægrotis. Pro ſanis, uel ad habitandum, uel ad coquendum, uel ad exercendum, uel ad lauandum.

Quænam locà circa cauædiũ ſunt ad habitandum?

Cœnationes & cubicula pro famulis: item Gynæciũ pro mulieribus panificium & lanificium exercentibus.

Quǽnam ad coquendum?

Culina ſeu coquina cuius partes Focus & Caminus. Focus à fouendo, locus eſt in quo ignis fouetur & cinere ſeruatur: Laribus ſacer fuit. Caminus ſtructura eſt extra parietem porrecta, uel in ipſo pariete producta, fumum excipiens & acceptum emittens per ſpiramenta, quæ ſupra tegulas elata meridiem uerſus & ſeptentrionem relinquenda ſunt: ita fumus faciliùs erumpens, loca non denigrabit. À fumo infumibulum, fumarium alij appellauêre. Antiqui huiuſmodi ſtructuram nõ habuêre, ſed parietibus tubos immiſerunt, per quos circumfunderetur calor, quo ima ſimul & ſumma fouerentur æqualiter, ut refert Seneca lib. 14 ad Lucilium. Caminus etiam fornax dicitur. In culina etiam furnum habent & ad panem coquendũ & ad carnes aſſandas. Sed propter ignis periculum, tutius erit eum extra ædes habere, ut & fœnilia & lignilia.

Quǽnam ad exercendum?

Gymnaſium, ubi exercitia ſint luctæ, ſaltus, follis, pilæ trigonalis, harpaſti. Huc pertinet & ſpheriſteriũ, & xyſtus: id eſt, porticus lata ad hybernam exercitationem, unde xyſtici athletæ, qui in xyſto exercebantur.

Quǽnam

Quǽnam ad lauandum?

Thermæ ſeu balnea: id eſt, locus qui lauandi, ſudandi'ut uſibus deſtinatus eſt, aut calidis aquis, aut fornice tantùm igne calefacto. Piſcina eſt lauacrum ubi frigida calidáut lauantur & natant. Apodyterium locus ubi ueſtes depone bant lauaturi aut ſudaturi.

Quomodo uocatur locus pro ægrotis?

Valetudinarium.

Quǽnam loca ſunt pro beſtijs?

Stabula & Viuaria. Stabulum generaliter eſt locus ubi greges & armenta clauduntur. Nam ſpecialiter dicitur E quile, ubi equi, Ouile ubi oues, Hara ubi ſues, Bouile ubi bo ues, Caprile ubi capræ, Hœdile ubi hœdi, Agnile ubi ag clauduntur. Stabula ipſa & deuexa & aut glarea, aut ſabu lo, ſaxóue ſtrata eſſe oportet, ut humorem reſpuere, aut ex orbere & tranſmittere ualeant, ſpectareq́; ad meridiem, u facilè ſiccentur & frigidis uentis non ſint obnoxia. Vnde maximè parte qua equi ad præſepia ſtare ſoliti ſunt, ſilican tur: id eſt, ſilice ſternuntur. Sed tutiſſimum aduerſus ignem eſt ſtabula per teſtudinem concamerare propter fœnum, pa leas, & ſtramenta quæ in illis habentur parte ſuperiore, qu Fœnile dicitur.

Quid eſt Viuarium?

Eſt locus ubi feræ concluduntur. Græcis θηριοτροφεῖ *qualia ſunt leporaria, cortes & piſcinæ.*

Quid eſt Leporarium?

Eſt propriè locus ubi lepores aluntur: λαγοτροφεῖον: *in genere ſeptum eſt ubi animalia aluntur, uel ad uenatio num uoluptatem, uel ad cibum.*

Qui

Quid eſt Cors?

Eſt locus quo gallinæ, anates & ſimiles aues aluntur. ὀρνιθοτροφεῖον.

Quid eſt Piſcina?

Eſt locus ubi piſces aluntur.

Quænam loca ſunt pro rebus inanimatis?

Armamentaria & Tablina. Armamentarium eſt locus in quo arma & tela reponuntur. Tablinum locus atrio proximus in quo tabulæ & monumenta reponuntur, πιναкοθήκη. *Plin. lib. 35. Atq; hæc de inferiore habitatione.*

Quænam eſt ſuperior habitatio?

Eſt Contignatio, Ein gaden, uulgò ſolarium: ad quam aſcenditur per ſcalas, quarum gradus ex ligno aut lapide ſunt. Scalæ verò quibus per gyrum aſcendimus: à cochleæ forma, cochlides dicuntur, uulgò Schnecken oder Vuendelſtein. Porriguntur autem trabes ſuppoſitis mutulis à pariete in parietem, ut fiat contignatio, ſupponuntur mox tigilla tranſuerſa ſeu aſſeres, illis tabulæ, tabulis rudus nouum ſiue laterculi ſiue teſſerulæ cum calce. Partes contignationis ſunt pauimentum, coaſſatio, lacunaria.

Quid eſt Pauimentum?

Eſt ſolum contignationis. Dictum à pauiendo: id eſt, feriendo. Fit enim è lapidibus & teſtulis benè percuſſis, addita calce. Pauimenta uaria ſunt, ut teſſellata, è lapideis figlinis ue cruſtis uitro tectis atq; encauſto pictis: ſic dicta quòd teſſellis: id eſt paruis quadratis lapidibus intexta ſunt: ut ſigina, è fractis teſtis tuſis addita calce: ut ſubdialia ὕπαιθρα: ut Punica è marmore Numidico: ut λιθόστρωτα è cruſtis marmoreis: ut aſarota è teſtulis in uarios colores tinctis, & imagine pictis. Dicta ab α & σαρῶ, uerro.

Quid eſt Coaſſatio?

Eſt laterum ſeu parietum contabulatio: dicta ab aſſeri coniunctione. Veſtiuntur autem & aſſeres, & trabes alient materia arboribus in laminas ſectis, quas pulcherrimas præ ſtat abies & utraq; populus & aliæ.

Quid eſt Lacunar?

Eſt contignationis ſeu triclinij, cubiculiq; ſuperior pars quod etiam laquearium dicitur.

Quottuplex eſt Contignatio?

Duplex: Prima & Secunda.

Quid eſt prima Contignatio?

Eſt habitatio domini ædium cum familia: id eſt, uxor & liberis, ubi eſt triclinium, cubicula, conclauia, habitati mulierum, (ſeu gynæceum) & liberorum.

Quid eſt Triclinium?

Eſt locus ubi paterſam cœnat: dictus à tribus thoris mo ſuúe ibi olim ſterni ſolitis. Huius quanta latitudo fueri bis tanta longitudo eſſe debet ſymmetrica ratione.

Quid eſt Cubiculum?

Locus ubi cubatur ſtratis cubilibus.

Quid eſt Conclaue?

Eſt ſeparatior, ſecretiórue locus in interioribus ædibu.

Quænam eſt ſecunda Contignatio?

Eſt quæ habet cœnacula & bibliothecam.

Quid eſt Cœnaculum?

Eſt locus hoſpitibus recipiẽdis deſtinatus: isq; propriè i ſuperiore ædiũ parte eſt. Vt enim cœnatio ſeu diæta in imo triclinium in media: ita cœnaculum in ſuprema ædium par te eſt. Hinc cœnaculariam facere, eſt cœnacula inquilinis lo care: & Suetonius cœnaculum meritorium dixit merced conductum: cùm ſuperiora inquilinis locarentur.

Quid

Quid eſt Bibliotheca?

Eſt locus in quo libri collocati ſunt. Bibliothecæ ad orientem ſpectare debent, ita libri non putreſcunt. Nam quæcunq; ad meridiem & occidentem apertas habent feneſtras, tineis & humore libros uitiant: quòd uenti humidi procreāt illas & alunt, infundentesq; humidos ſpiritus, pallore uolumina corrumpunt. Vnde uel in parietibus quidam uel ex tabulis armaria extruunt ad libros continendos, quæ foruli dicuntur. Fiunt & armaria in cubiculis, culina & cœnationibus, uerùm ad alios uſus. Atq; hactenus de parietum ambitu: ſequitur tectum.

Quid eſt Tectum?

Eſt propriè ea pars quæ domum tegit. In eo plerunq; eſt Granarium.

Quot ſunt eius Species?

Duæ: Pectinatum & Teſtudinatum.

Quid eſt tectum Pectinatum?

Eſt in duas partes deuexū, inſtar pectinis: dicitur & diſpluuiatum: quia diuortio quodam utrinq; pluuiam demittit.

Quid eſt Teſtudinatum?

Eſt in quatuor partes deuexum.

Quot ſunt tecti partes?

Duæ: Faſtigium & Culmen.

Quid eſt Faſtigium?

Eſt pars tecti quæ à tota parietum latitudine ſenſim in acutum erigitur inſtar pyramidis: in quo columen tignum culminis ponitur.

Quid eſt Culmen?

Eſt pars tecti ex lignis & tegulis conſtans.

Quænam ſunt ligna tecti?

Tranſtra, Capreoli, Regulæ, Scandulæ.

Quænam ſunt tranſtra?

Sunt tigna tranſuerſa à pariete in parietem porrecta.

Quinam ſunt capreoli?

Sunt ligna à tranſuerſis trabibus ad culmen uſq; erecta, quæ totum culmen ſuſtinendo colligunt. Dicuntur & canterij. Quæ ligna ſi longius prouehuntur, ſuggrundam faciũt: id eſt, partem tecti prominentem: quæ ſtillicidium à parietibus arcet.

Quænam ſunt regulæ?

Sunt tranſuerſi aſſeres capreolis impoſiti & infixi, ad ſuſtinendas tegulas.

Quænam ſunt ſcandulæ?

Sunt tabellæ ligneæ quæ tegulis ſubijciuntur, ſchindeln.

Quænam ſunt tegulæ tecti?

Sunt lateres coctiles, quibus tectum à pluuia, ſole & cæteris defenditur, aquam receptam deducendo. Qui ſi incurui ſint, imbrices dicũtur: unde tectum imbricatum. Ad quorum imum eſt ſtillicidium, quod uel in impluuium decidit, uel in tubulos teretes canaléſue ſemirotundos colligitur, ut extra impluuium decidat, ne ſtillæ cadentes lateritium marmoreúmue cauædij pauimentum corrumpant.

Quænam ſunt adiuncta ædificiorum?

Horti & Piſcinæ.

Analyſis Architectonica pontis, quem Cæſar ſupra Rhenum fecit libro 4. de bello Gallico.

Deſcriptio huius pontis quatuor cauſis cõſtat. Efficiens ſeu architectus eſt Cæſar. Materia eſt in tignis, trabibus, fibulis, ſublicis, longurijs, cratibus. Forma in iugorum diſpoſitione ſeu ſerie & contabulatione. Finis in traiectione exercitus, & excurſione in Germaniam. Partes eius duæ ſunt.


Partes

Partes pontis duæ
- *Iugũ è tignis in fluminis parte*
  - *Summa ſecundũ naturã fluminis pronis.*
  - *Ima contra uim fluminis cõuerſis*
  - *His*
    - *Trabes bipedales immittebantur.*
    - *Fibulæ addebãtur.*
    - *Sublicæ adigebantur.*
      - *Ad partẽ inferiorẽ.*
      - *Supra pontẽ.*
- Contabulatio. *Nam iugũ*
  - *Contexebatur lignis & trabibus.*
  - *Conſternebatur longurijs & cratibus.*

Hîc ſudauêre multi docti uiri, ut Iucundus Veronenſis, Glareanus, Budæus, Cardanus lib. 17. ſubtilitatum, Buteo, Turnebus, Hotomannus, Ramus in libello de militia Cæſaris, Leo, Baptiſta, Albertus, Andreas Palladius lib. 3. cap. 6. Architecturæ, cuius opinio mihi omnium minimè probatur. Res facilis eſt ei qui iuga pontium ſubliciorum adhuc hodie ſupra Rhenum ſtantium conſiderauerit, qui haud dubiè ad illius Cæſariani ideam facti ſunt.

Prima pars pontis cõſtat è iugis, ab una ripa fluminis ad alteram deinceps pertingentibus: ſed Cæſar unum tantũ deſcripſit, quòd reliqua, eâdem planè ratione confecta eſſent. Primum igitur iugum binis tignis conſtabat in ſumma & ima fluminis parte. Et quidẽ in ſumma fluminis parte ſecũdum naturã fluminis, tigna prona bina ſeſquipedalia: id eſt, ſeſquipede craſſa, paulum ab ima parte præacuta, dimenſa

ad profunditatem fluminis, interuallo pedum duorum inter ſe iungebat, nimirum ſecũdum curſum fluminis, non ad latus. Nam ſi ad latus iuncta fuiſſent, non unum iugum, ſed duo uideri potuiſſent. Hæc tigna machinationibus immiſſa in flumine deſixerat, fiſtucisq́; adegerat. Machinationes haud dubiè intelligens eas, quibus hodieq́; ad trabes leuandas utuntur architecti, quas ſucculas uocant. Fiſtucas uocat, non ut quidam putant, ea inſtrumenta quibus plateæ pauimenta pauiuntur, ſed machinas quarum pondere tigna & ſublicæ in ſolum fluminis adiguntr.



Hæc bina tigna non ſublicæ forma aut more directa ad perpendiculum: id eſt, non ad angulos ad planum horizontis rectos erecta erãt: ſed prona ſeu accliuia ad angulos obliquos, & faſtigiata: id eſt, inclinata ad modum tectorum, ut ſecundum naturam ſeu curſum fluminis procumberent. His bina contraria & è regione interuallo quoq; duorũ pedũ iũcta, ab inferiore parte fluminis, cõtra uim atq; impetũ fluminis

fluminis cõuerſa, interuallo pedũ quadragenûm ſtatuebat. Hæc utraq; inferiora & ſuperiora tigna (bipedalib. trabib. immiſsis & ſuprapoſitis, longitudine tãtis, quãtũ eorũ tignorum iunctura diſtabat, nimirũ 40 pedũ) binis utrinq; fibulis ab extrema parte trabis immiſſæ, diſtinebantur. Hic præcipua obſcuritas in metaphora fibularũ eſt. Mihi præ reliquis placet ſentẽtia Rami, quæ etiã cum experientia congruit. Is enim in libello de militia Cæſaris, fibulã quadratũ quoddã è firmiſsima materia uinculũ intelligit, quo bina tigna cum media trabe reuinciũtur. Tandẽ ſublicæ: id eſt, tigna ad perpendiculũ erecta utrinq;, nimirũ ad inferiorẽ fluminis partẽ & ſupra pontẽ mediocri ſpacio adigebãtur obliquè, ut cũ tignorũ binorũ inclinatione tanquã trianguli latera cõſtituerent: ad eũ finẽ ut pro ariete ſubiectæ & cũ toto opere: id eſt, omnib. iugis cõiunctæ, uim & impetũ fluminis exciperent ac frangerẽt: aut ſi arborum trunci ſiue naues deijciendi operis cauſa eſſent à barbaris miſſæ, his defenſorib. ſeu arietibus, & ut Plutarchus ait προβόλοις, earum rerũ uis minueretur, neu ponti nocerẽt. Vt autẽ in fibulis, ſic & in ariete metaphora eſt duplex. Primò enim aries ꝑ metaphorã ſignificat machinã inſtar arietis factã, quæ impetu ſuo cõtra muros arietat. Deinde ab hoc inſtrumẽto metaphora hæc ſecũda ſumpta eſt pro ſublicis quæ inſtar arietis bellici murũ frãgentis, fluctus amnis frangerent. Atq; hæc de prima pontis parte.

Secunda pars eſt in cõtabulatione: quæ hîc non amplius de uno iugo, ſed multis deinceps, ordineq; poſitis intelligitur. Hæc enim tigna directa: id eſt, ordine longo per multa deinceps iuga poſita, primùm contexebantur materia: id eſt, lignis & trabibus tranſuerſis. Deinde hæ trabes tranſuerſæ, conſternebantur longurijs: id eſt, perticis longis, & cratibus: id eſt, lignis & tabulis connexis.

DE MECHANICA.

Quid eſt Mechanica?

Eſt pars Architectonicæ, ut Vitruuius uult, maxima ad onerum motus uires habens.

Quid eſt Machina?

Eſt pars artis ſubueniens deſperatis actionibus, qua etiã contra naturam agere licet, μηχανή ἐστι μέρος τέχνης, βοηθοῦν ἀπορίαις ἃς παρέχει τὸ χαλεπὸν, ὅταν δέῃ τὸ παρὰ φύσιν πράξαι.

Quottuplex eſt Mechanica?

Duplex: Spiritalis πνευματικὴ, *&* Βάναυσος.

Quid eſt Spiritalis?

Cum ſpirituum uel aëris expreſsionibus, ὀργανικῶς *perficiuntur plagæ, impulſus & uoces. Cuius illuſtre exemplum eſt apud Vitruuium in Cteſibica machina: & merulis quæ uoces edunt & engibatis, quæ bibentia mouent ſigilla.*

Quottuplex eſt Βάναυσος?

Duplex: Scanſoria ἀκροβατικὴ *& Tractoria* ἑλκτική.

Quid eſt Scanſoria?

Cũm machinæ ita collocatæ ſunt ut ad altitudinem tignis ſtatutis & tranſuerſarijs colligatis & fulturis ſine periculo ſcandatur ad apparatus operũ. Cæterùm modici apparatus inſtrumẽtum eſt, quo ſe ad altitudinem aliquis euehere & rurſus demittere poteſt, quo nautæ utuntur traiectio per trochleam fune Sunt & duo alia inſtrumenta huius generis, de quibus Cardanus in libris de Subtilitatibus.

Quid eſt Tractoria?

Cũm onera machinis trahuntur, aut ad altitudinem ſublata, deponuntur: perficiturq́; potiſsimum Trochleis, Tympanis, Ergatis, Succulis, & Vecte.

Quid

Quid eſt Trochlea?

Eſt rotula ſtriata ſeu machina cum æreo ligneo'ue orbiculo, qui circum axem uerſatur. Ein Zwinde. *Per eius orbiculum funis traijcitur, qui ductarius dicitur. Ein* zug ſeyl. *Trochlea polyſpaſtos dicitur, in qua plures orbiculi ſtriati uerſantur.*

Quid eſt Tympanum?

Eſt ingens rota quæ à calcantibus hominibus circumagitur & axis fune obuoluitur & effert in altum uaſta onera, γέρανος. Ein Kranich, *Steinrad.*

Quid eſt Ergata?

Eſt machina tractoria axe recto, quæ obnitentibus & in orbem euntibus uectiarijs uerſatur. Ein Zwelbaum.

Quid eſt Succula?

Eſt machina tractoria, tereti ligno conſtans duobus uectibus traiecto, circum quam ductarius funis obuoluitur. Cuius uſus in attollendis trabibus & ſubuehendis è cella cadis uinarijs: ubi in duobus arrectarijs, quæ ab anteride ſuſtinentur, ſucculа ponitur tranſuerſa & inter duo chelonia: id eſt, anſas arrectarijs tignis affixas, uerſatur. Ein zugwahl die man mit heblen vmbtreibt.

Quid eſt Vectis?

Eſt palus ligneus aut etiam ferreus, quo onus uix multis mobile, unius opera promouetur, aut attollitur. Ein Hebel, μόχλος & μοχλίον Græcis. In eo ſunt termini & hypomochlium

Quot ſunt uectis termini?

Duo: Vnum lingua ſeu cuſpis, alterum caput.

Quid eſt Hypomochlium?

Eſt preſsio ſeu fulcimentum lapidis aut durioris cuiuſlibet, ad locum ponderi propiorē ſubiectū. Ergo mochlium

ſubiecto hypomochlio pōdus leuabit unius hominis uiribus, quod multarū manuū coniuncta multitudo leuare nequeat.

Quænam ſunt opera & emolumenta uectis?

Infinita ſunt. Vectis enim non ſolùm leuandis & portandis ponderibus, fabris, architectis, olitoribus, baiulis, agricolis, nautis opitulatur: ſed ſyluas, latomias & liquidorum prala ingreſſus, ligna, marmora diuidit: uina, olea, unguenta, exprimit.

Quomodo prodeſt architectis & fabris?

Quia in altis ædificiorum ſubſtructionibus pondera lapidum, trabiumq; fabris & architectis ſubleuat: modò eiſdē collopis forma ſuculas uerſat. Collops uerticillum ſignificat quo chordæ intenduntur.

Quomodo olitoribus?

Quia tollenonis ſpecie aquas è puteis exhaurit. Tolleno enim machina putealis eſt ex trabe ſolo depacta, cui altrinſecus altera longior tranſuerſa immittitur, fibula adſtricta, pondere unam partem prægrauante Ein pompe.

Quomodo baiulis?

Quia phalangæ forma baiulis & phalangarijs proportionalia radijs pondera partitur.

Quomodo agricolis?

Quia iugi nomine in aratro bobus æquum arationis laborem diſpenſat.

Quomodo nautis?

Hic uectis inuerſus eſt, & terra uel aqua eſt pro leuando onere, mobilis ponderis angulus pro hypomochlio & preſſione. Qualis plerūq; uectis eſt in aquis præſertim, in quibus non iam ſuſtollit onera, ſed rotarū inſtar currū uehit. Hinc

enim

enim tranſmiſsio fluminum atq; æquorum, hinc toto mũdo mare perambulatũ. Quare remus agit & impellit nauigiũ? quia uectis eſt: ſcalmus eſt hypomochlium: mare mobile pōdus: remex eſt uectiarius. Gubernaculum exiguum in extrema puppi collocatum ingentes triremium moles inflectit, & quidẽ ſedentis gubernatoris & tanquam nihil agẽtis manu: quia gubernaculum eſt uectis, & radix gubernaculi eſt hypomochlium. In extremo autem gubernaculum collocatur, quò facilius obliquet nauim, indeq; motus ad prorã facilius perueniat. Modica enim motio in puppi facta ad proram latius extenditur. Aequalium ſiquidem angulorum maior cruribus, maior eſt baſi. Quæ uis imperare uentis, uelut equis potuit, ut nauigia tanquam plauſtra ueherent, idq; facerent modò uehementius, modò remiſsius? Vectiarium imperium iſtud fuit. Malus enim mochlium eſt: edolium uerò calxúe mali, hypomochlium: itaq; quantò altioribus antennis ad ſumma carcheſia uelum ſuſpenſum fuerit, tantò uectis aurigatio uelocior erit ac uehementior.

Quomodo diuidit uectis & exprimit?

Vectis duplicatur in cuneo, magnasq; moles arborum & marmorum duobus in contrarias partes diſtrahentibus uectibus diuellit: pars acuta ſecat acumine, ſuperficies utrinque planæ altera deorſum deprimit, altera ſurſum erigit. Hypomochlia ſunt ora utrinque cuneum excipientis rimæ. Sic uuæ, oleæ, mala, pyra, cæteraq; humida prælis ſubiecta, cuneis premuntur & quicquid liquoris habent, perſoluere domino compelluntur. Ex eadem facultate ſecures exortæ, cunei nempe tanquam malleo alligati. Sed præcipuas uectis laudes machinulæ duæ, forceps & forfex quotidiano & propè perpetuo hominum uſu complexæ ſunt. Etenim uterque uectis communi hypomochlio duplicatus eſt.

Quid

Quid eſt Forceps?

Eſt uectis, quo opifices metalla tractantes, exercent cā-dens ferrum, æs, argentum, aurum.

Quid eſt Forfex?

Eſt uectis communi hypomochlio cuneatus, quo ceu cul-tro tonſores capillos hominum, paſtores uellera ouium, ſar-tores pannos ueſtimentorum, opifices alij plumbum, ſtā-num, ferrum, argentum, aurum, metalla deniq; omnia ſe-cant. Quare uectis fabros, & architectos, olitores, nautas, lignatores, lapicidas, marmorarios, uinitores, olearios, un-guentarios, ferrarios, aurifices, metallicos, chirurgos, ton-ſores, paſtores, ſartores: omnes deniq; opifices beneficiarios habet.

F I N I S.

DE PHYSICA.

TYPVS PHYSICÆ.

- Phyſica conſid. corporis naturalis
  - Qualitates, quæ ſunt uel
    - Principes, Denſitas, raritas.
    - A' principibus ortæ, quæ ſentiuntur.
      - Tactu: Calor, frigus, &c.
      - Viſu: Color.
      - Guſtu: Sapor.
      - Odoratu: Odor.
      - Auditu: Sonus.
  - Species
    - Simplex
      - Cœlum.
      - Elementum
        - Ignis.
        - Aër.
        - Aqua.
        - Terra.
    - Mixtum
      - Imperfectum, Meteoron.
      - Perfectum
        - Inanimatũ
          - Foſsile
            - Metalla.
            - Lapides.
          - Liquidum.
        - Animatum
          - Planta ſeu ſtirps
            - Arbor.
            - Herba.
            - Fruges.
          - Animal
            - Brutũ,
              - Aues.
              - Piſces.
              - Beluæ.
            - Homo.

Quid

Quid eſt Phyſica?

Eſt doctina de natura rerum. Eius ſubiectum eſt corpu naturale: id eſt, materiatum & ſenſile, ſeu quod ſenſu exter no percipi poteſt. τὸ σῶμα ὁρατὸν καὶ ἁπτόν.

Quid eſt corpus Phyſicum?

Eſt corpus quod lucido, umbroſo, raro, denſo, leui, gra ui, cæteriſq; phyſicis qualitatibus expletum eſt.

Quot ſunt conſid. in corpore Phyſico?

Duo: Qualitates & Species.

Quottuplices ſunt qualitates?

Duplices: Principes & à principibus ortæ.

Quænam ſunt principes?

Denſitas & raritas, πύκνωσις καὶ μάνωσις.

Quænam ſunt à principibus ortæ?

Variæ ſunt. Nam percipiuntur aut tactu, aut uiſu, aut guſtu, aut olfactu, aut auditu.

Quænam percipiuntur tactu?

Calor, frigus, humor, ſiccitas: & has quatuor comitan tur grauitas, leuitas: mollities, durities: tenuitas, craſſities aſperitas, lenitas: lentor, ariditas: fragilitas, lubricitas.

Quænam percipiuntur uiſu?

Lux & Color.

Vnde fiunt colores?

Omnia tincta colores ſumunt à tingētibus, ut à floribus à plantis, à radicibus, à corticibus, à lignis, à folijs, à fructi bus, à terra, à ſpuma, ab atramento, ab animantium ſucco à uino, à fumo, à cinere, à mari.

Quódnam eſt coloris adiunctum?

Varietas: hæc enim propriè de coloribus dicitur: Hinc ueſtis uaria, equus uarius, cœlum uarium. Veſtis enim ua-

ria eſt diſcolor, diuerſiſq́ coloribus conſuta. Equus uarius non totus candidus, aut niger, ſed his alijſq́ coloribus diſtinctus. Cœlum uarium, cuius partes ſerenæ interlucēt, partes nubile triſtantur.

Quænam ſunt ſpecies colorum?

Ater, albus, pullus, ferrugineus, cœruleus, cæſius, rufus, ruber, roſeus, puniceus, fuluus, uiridis.

Quænam qualitas ſentitur guſtu?

Sapor.

Quottuplex eſt Sapor?

Duplex: Laxans & Aſtringens.

Quid eſt Laxans ſapor?

Quem lingua excipiens diffunditur & quaſi dilatatur: eóq́ non læditur, aut exulceratur.

Quot ſunt eiuſmodi?

Duo: Dulcis & Pinguis, γλυκὺς καὶ λιπαρός.

Quid eſt Dulcis?

Quem lingua auidè excipit ac uoluptate afficitur: dulcia talia ſunt lac & uinum: mel & ſaccarum.

Qualis eſt pinguis?

Qualis eſt in oleo, butyro, carne.

Quænam ſunt regulæ de dulci & pingui?

1. *Nutrimentum hominis debet eſſe dulce, aut dulci permixtum.*

2. *Nimis pinguia nocent: quia ſolent ſupernatare & impedire coctiones & oppilationes efficere.*

Quid eſt ſapor aſtringens?

Qui aſtrictionem efficit, qua offenditur & exaſperatur lingua.

Quottuplex eſt?

Duplex: Calidus & Frigidus.

Quottuplex eſt Calidus?

Triplex: Amarus, acris, ſalſus, πικρὸς, δριμὺς, ἁλμυρὸς.

Quid eſt Amarus, πικρὸς?

Qui detergit & mordet linguam: ut in bile, abſynthio.

Quid eſt Acris, δριμὺς?

Qui non ſolùm mordet & rodit linguam, ſed etiam ulterius penetrat & ualdè diſſoluit, inſtar ferri igniti: ut piper, zingiber, allium, cepa.

Quid eſt ſalſus ἁλμυρὸς?

Qui linguam detergit & abluit diſgregando & exiccando, ut ſal: qui ideò putrefactiones impedit: quia deſiccat & extenuat humiditates.

Quottuplex eſt Frigidus?

Triplex: Acerbus, auſterus, acidus: ϛρυφνὸς, αὐϛηρὸς, ὀξύς.

Quid eſt Acerbus, ϛρυφνὸς?

Qui contrahit linguam & introrſum pellit. Acerba autem ſunt fructus glandium, pyra ſylueſtria & in genere immatura poma, mala cydonia, fructus poterij (uulgò ribes, Sant Iohans treübelin) pruna ſylueſtria, ſchlehen: uulgò acacia.

Quid eſt Auſterus?

Qui aſperitatem quandam in ſumma lingua efficit: ut uinum auſterum: & Galenus inquit, auſtera uina magis corroborare uentriculum, & minus officere cerebro.

Quid eſt Acidus?

Qui mordendo cōſtringit, & refrigerat: ut oxalis, Saurampfer (uulgò acetoſa) malum punicum, Granatöpfel, acetum. Acida cient appetentiam, ὄρεξιν.

Quænam qualitas ſentitur odoratu?

Odor. Sic ſentimus olere fumātia ligna. Vſta enim, quæ modicam

modicam habent humiditatem, ſunt fragrantia. Prorſus tamen arida non ſunt odora, ut lapides.

Quottuplex eſt Odor?

Duplex: Bonus & malus τὸ εὐῶδες καὶ δυσῶδες.

Quid eſt bonus Odor?

Qui gratus eſt cerebro: ut odor roſæ, uiolæ, libanotidos, quæ uulgò eſt roſmarinus.

Quid eſt malus Odor?

Qui ſua natura uenenum eſt cerebro: nominatur autem fœtor & aliquando graueolentia. Sic Plinius fœtorem ſub humeris nominat graueolentiam alarum: & Virgilius odorem grauem cœni dicit.

Quænam qualitas ſentitur auditu?

Sonus: qui eſt uel acutus, uel grauis. Atque hæc de qualitatibus.

DE SPECIEBVS Corporis Phyſici.

Quottuplex eſt corpus Phyſicum?

Duplex: Simplex aut Mixtum.

Simplex eſt Cœlum & Elementum.

Quid eſt Cœlum?

Eſt mundi pars ſuperior, lucida, circum elementa perpetuò mobilis.

Quottuplex eſt Cœlum?

Principales mundi partes in uniuerſum quindecim ſtatuuntur: undecim uidelicet orbes & quatuor elementa: ubi ſuperius corpus perpetuò circundat, inferius ex omni parte, ferè ſicut tunicæ ſuperiores in cepis, circundant inferiores. In ſumma autem duplex eſt cœlum, Empyreum & Aethereum.

Quid eſt Cœlum Empyreum?

Eſt ſedes Dei, angelorum & piarum mentium. Vocatur etiam cœlum cœlorum & tertium cœlum.

Quid eſt Cœlum Æthereum?

Eſt ſedes luminarium & ſtellarum: quod & firmamentum dicitur, extenſum ſicut ueſica aut tentorium. Rakia *Hebræis.*

Quot ſunt orbes cœli Ætherei?

Decem: Sphæra decima, nona, octaua, & ſeptem orbes planetarum.

Quot ſunt motus orbium Cœleſtium?

Duo. Vnus ab ortu in occaſum, quo omnes orbes ἰσοταχῶς: id eſt, æquali celeritate, ſpacio diei naturalis ſeu 24 horarum reuoluuntur. Alter priori contrarius, ab occaſu in ortum, proprius octauæ ſphæræ & ſeptem planetarũ orbibus, ſecundùm ſignorum ordinem. Ille dicitur motus primi mobilis: hic ſecundorum mobilium.

Quid eſt primum Mobile?

Eſt orbis æthereus extimus, qui ab ortu in occaſum & inde rurſus in ortum uelociſsimo motu, intra 24 horas progreditur. Hic omnia corpora inferiora ſecum rapit.

Quot ſunt partes ſphæræ ſeu primi mobilis?

Tres: Axis, Poli & Circuli.

Quid eſt Axis ſphæræ?

Eſt linea recta per centrum ſphæræ acta, circumferentiæ ambas extremitates attingens, circa quam ſphæra uoluitur.

Quid eſt Polus?

Eſt punctus axem terminans: qui etiam cardo, & uertex dicitur, & clauus à barbaris.

Quot ſunt Poli in Sphæra?

Duo: Arcticus, & Antarcticus.

Quid eſt Polus Arcticus?

Qui nobis in Europa ſemper apparet. Diciturq; arcticus ab arcto: id eſt, urſa minore, quæ Cynoſura dicitur, cùm maior uocetur Helice.

Quid eſt Polus Antarcticus?

Eſt polus arctico oppoſitus, qui à nobis nunquam uidetur, ſed ab Antipodibus.

Quot ſunt Circuli Sphæræ?

Decem in uniuerſum: ex quibus alij ſunt externi & immobiles, alij interni & mobiles.

Quot ſunt Externi?

Duo: Horizon & Meridianus.

Quid eſt Horizon?

Eſt circulus externus & immobilis, ſuperius hemiſphærium ab inferiore diuidens: eſtq; duplex: Rationalis & Senſibilis.

Quid eſt Rationalis Horizon?

Eſt cœli ſpacium, rotundo ambitu definitum, quod mens ratiocinando colligit.

Quid eſt Senſilis Horizon?

Eſt terræ ſpacium, rotundo ambitu definitum, quod acies oculorum in plano & patenti campo circumſcribit.

Quid eſt Meridianus?

Eſt circulus externus & immobilis, per punctum uerticis & polos mundi tranſiens, ad quem cùm Sol accedit, interdiu meridiem, noctu uerò mediam noctem efficit.

Quid eſt Circulus internus?

Qui cum primo mobili circumagitur. Sunt autem tales circuli uel maiores, uel minores.

Quot ſunt Maiores?

Quatuor: Zodiacus, Aequator, Colurus æquinoctiorũ, & Colurus Solſtitiorum.

Quid eſt Zodiacus?

Eſt circulus maior, æquatorem in duobus punctis (quæ ſunt principia Arietis & Libræ) diuidẽs in duas medietates, quarũ una ad ſeptentrionem, altera ad auſtrum uergit, Latini uocant ſigniferum. Dicitur Græcis Ζῳδιακὸς ἀπὸ τῶν ζῳδίων.

Quot ſunt partes Zodiaci?

Veteres Zodiacum in duodecim ſigna diuiſerunt duce & Magiſtra Luna: ut ſunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces: quæ ſigna numerantur ab occaſu in ortum, & uocantur à Græcis ζῴδια, à Ptolomæo δωδεκατημόρια: id eſt, duodecimæ partes, ſeu unciæ.

Quomodo diuiduntur ſigna Zodiaci?

Signum quodlibet diſtribuitur rurſus in partes ſeu gradus 30. Sol enim 30 dierum ſpacio ferè duodecimam Zodiaci partem emetitur.

Quid eſt Aequator?

Eſt circulus maior, undiq; à polis æquidiſtãs. Sic dictus: quoniam cùm Sol in eo eſt, nox diei & è contra dies nocti omnino æquatur.

Quot ſunt æquinoctia, ἰσημερίαι?

Duo ſunt, Vernum ἐαρινή: & Autumnale, μετοπωρινή. Vernum fit Sole ingrediente principium Arietis. Autumale

fit

fit Sole occupante initium Libræ. Contingit igitur æquinoctium bis in anno, ſemel 21 die Martij, iterum 15 die Septembris.

Quot ſunt minores Circuli?

Quatuor: duo polares & duo tropici.

Quínam ſunt polares Circuli?

Arcticus, & Antarcticus.

Quínam ſunt Tropici?

Cancri & Capricorni. Atq; hæc de Sphæra decima, ſeu primo mobili. Sequuntur Stellæ.

Quid eſt Stella?

Eſt corpus lucidum, cœlo adhærens.

Quottuplex eſt Stella?

Duplex: Fixa & Erratica.

Quid eſt Fixa Stella?

Quæ octauo orbi inhæret & ſcintillat. Veteres numerarunt 1022, quæ omnes differunt, magnitudine ſeu ſplendore, configuratione, ſeu aſteriſmis, & ſitu.

Quid eſt Planeta?

Eſt ſtella erratica, non ſcintillans. Nam ſub eo orbe, cui fixarum ſtellarum multitudo adhæret, ſunt ſeptem orbes, quorum ſinguli unam uehunt ex ſtellis, quæ uocantur errantes, ſeu Planetæ.

Quot ſunt Planetæ?

Septem: Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Ex quibus duo dicuntur luminaria, ut Sol & Luna: reliqui Solis ſtipatores, ut tres ſuperiores, Saturnus, Iupiter, Mars: duo inferiores, Venus & Mercurius.

Quid eſt Sol?

Eſt maius lumen cœli, in dominium diei conditum, cuius motu efficiuntur horæ, dies, annus.

Quid eſt Hora?

Eſt uiceſima quarta pars diei naturalis.

Quid eſt Dies?

Eſt præſentia lucis ſolaris ſupra Horizontem.

Quid eſt Annus?

Eſt tempus quo Sol à uerni æquinoctij puncto totũ Zodiacum peragrat, quod fit diebus trecentis ſexaginta quinq;.

Quot ſunt partes aut horæ anni?

Quatuor: Ver, Aeſtas, Autumnus, Hyems.

Quænam eſt Paſſio Solis?

Eclipſis: quæ eſt auerſio radiorum ſolarium ob interpoſitionem Lunæ inter Solem & noſtrum uiſum.

Quot ſunt puncta ecliptica ſeu digiti?

Digiti ſolaris eclipſis aut lunaris nihil aliud ſunt, quàm duodecimæ partes corporis Solis uel Lunæ obſcuratæ. Vtriuſque enim luminis diameter uiſibilis uidetur æquare ſpitamam, quæ æquat 12 tranſuerſos digitos.

Quid eſt Luna?

Eſt minus lumen cœli, in dominium noctis conditum: cuius motu efficiuntur menſes.

Qualénam eſt Corpus Lunæ?

Eſt partim rarum ac diaphanon, partim denſum: eáq; cauſa eſt macularum in Lunæ facie.

Qualénam eſt lumen Lunæ?

Eſt alienum. Nam cùm eius corpus craſsius ſit, lucet non ſuo, ſed alieno lumine Solis.

Quínam eſt Effectus Lunæ?

Deſignatio ſeu dimenſio menſium. Nam Lunæ curricula, coniunctiones, cum Sole, diſceſſus, incrementa, decrementáq;

crementa, reditus ad ſolem, efficiunt ſpacia menſium lunarium.

Quænam ſunt apparentiæ ſeu Φαινόμενα Lunæ?

Noua Luna dicitur cū Soli cōiungitur: Newmon. Hinc nouilunium. Plena Luna dicitur cùm Soli opponitur: Volmon, Durchſchein: hinc plenilunium: quod fit die 15 à coniunctione.

Cornicularis ſeu falcata, curuata in cornua: κερατοειδὴς ἢ μηνοειδὴς.

Dimidia, διχότομος ſeu ἡμίτομος, Das erſt Viertel.

Gibboſa utrinque, ἀμφίκυρτος, cùm aliquid deeſt integro orbi.

Quænam eſt Paſſio Lunæ?

Eclipſis, quæ eſt priuatio luminis ſolaris in Luna, ob interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam ex diametro factam.

Atque hactenus de cœlo: ſequuntur Elementa.

DE ELEMENTIS.

Quid eſt Elementum?

Eſt corpus ſimplex, ex quo quidque primum componitur.

Quot ſunt Elementa?

Quatuor: Ignis, aër, aqua, terra.

Quid eſt Mare?

Eſt aquarum generalis collectio.

Quid eſt Oceanus?

Eſt aqua totam terram circundans. Iſte eſt qui oras terrarum amplectitur, alternisque æſtibus accedit atque recedit. In oriente uocatur Indicus: in occidente Atlanticus & Magellanicus: in ſeptentrione hyperboreus & mare glaciale: in meridie meridionalis.

Quid eſt Sinus?

Eſt aqua, terræ ſe inſinuans, Græcis κόλπος, Italicè golfo. Vt mare magnum, mare Hircanum ſeu Caſpium, ſinus Perſicus, ſinus Arabicus, qui & mare rubrum dicitur, hodie bohur curſon: *id eſt, mare clauſum: ſinus Adriaticus.*

Quid eſt mediterraneum mare?

Quod per mediam terram ab occaſu ad orientem uſque extenditur, Europam, Africam, Aſiam diſcerminans.

Quid eſt Fretum?

Eſt anguſtus locus in mari inter terras: dictus à fremitu aquarum.

Quid eſt Iſthmus?

Eſt anguſta terra inter duo maria.

Quid eſt Lacus, ſeu Stagnum?

Eſt receptaculum aquæ, quæ ſtat in loco, nec profluit. Diciturque ſtagnum à ſtando. Vt lacus aſphaltites, ſeu mare mortuum in Iudæa: in Germania Acronius, ſeu Conſtantienſis, & Bodmicus, qui duplex eſt inferior, & ſuperior.

Quid eſt Fluuius?

Eſt perennis aquarum decurſus, à perpetim fluendo dictus: duo autem ſunt fluminum genera, unum perpetuum, alterum torrens: unde illud:

Flumine perpetuo torrens ſolet altius ire:
Sed tamen hæc breuis eſt, illa perennis aqua.

Quínam ſunt Fluuij Hiſpaniæ?

Iberis, Minius, Durias, Vacua, Tagus, Bœtis, Anas, Setabis, Sucro, Durius, Cinga, Sicoris.

Quínam ſunt fluuij Galliæ?

Rhodanus. Garumna, Ligeris, Sequana, Araris, Matrona, Moſa, Moſella, Sabis, Scaldis, Iſara, Druentia.

Quínam

Quínam Italiæ?

Mincius, Ticinus, Ollius, Abdua, Padus, Rubico, Tiberis, Arnus.

Quínam Aſiæ?

Ganges, Tigris, Euphrates, Indus, Hidaſpes, Bactrus, Araxes, Orontes, Cydnus, Pactolus, Mæander.

Quis eſt fluuius Aegyptij?

Nilus.

Quínam ſunt fluuij Scythiæ?

Iſter ſeu Danubius, Tyras ſeu Neſter, Boryſthenes ſeu Dneper, Vuolga ſeu Edel & Rha, Duna, Tanais.

Quínam ſunt fluuij Germaniæ?

Ex monte pinifero in Voitlandia quatuor fluuij ſcaturiunt: Mœnus, Egra, Salas, Nabus.

Ex ſummis Alpibus ſeptem fluuij effunduntur, Ticinus, Toſa, Madia, Rhodanus, Arola, Vrſa, Rhenus. Heluetiæ fluuij nauigabiles quatuor ſunt, Vr, Limagus, Vrſa, & Arola.

Germania intus habet Neccarũ, Mœnum, Lanam, Lippium, Amaſim, Viſurgim, Albim (cui miſcetur Egra, Salas, Sucuus) Viadrum. In ora habet Viſtulam, Rhenum, Danubium.

Quottuplex eſt Orbis?

Duplex: Antiquus, qui fuit Ptolomæo cognitus & Nouus.

Quot ſunt partes orbis Antiqui?

Tres: Europa, Africa, Aſia.

Europa minima eſt: caput eius Roma. Media eſt Africa: in qua Carthago pertinax Romani imperij æmula. Maxima autem eſt Aſia, cuius caput quondam Troia. Hæ tres partes uocantur continens.

Quot ſunt tabulæ Europæ?

Decem.

Quas regiones habet prima tabula?

Hyberniam, Albionē, (quæ in Angliam & Scotiam hodie diuiſa eſt) Orcades inſulas 30 & Thylen.

Quid continet ſecunda?

Hiſpaniam, diuiſam in tres regiones, Bæticam, Luſitaniam & Tarraconenſem.

Quid continet tertia?

Galliam, diuiſam in Aquitanicā, Celticam, & Belgicā.

Quid continet quarta?

Germaniam.

Quid continet quinta?

Rhætiam, Vindeliciam, Noricum, Pannoniam ſuperiorem & inferiorem, Illyriam.

Quid continet ſexta?

Italiam & adiunctam inſulam Cyrnon ſeu Corſicam.

Quid continet ſeptima?

Duas inſulas: Sardiniam & Siciliam.

Quid continet octaua?

Sarmatiam Europæ: quæ hodie diuiſa eſt in Poloniam, Ruſsiam, Boruſsiam, Lituaniam, Moſcouiam, Podoliam, Albam, Ruſsiam.

Quid continet nona?

Iazyges Metanaſtas, Daciam, Myſiam ſuperiorem & inferiorem, Thraciam.

Quid continet decima?

Græciam, diuiſam in Macedoniam, Epirum, Achaiam, Peloponneſum. Item Inſulas, ut Corcyram, Ithacam, Cephalenias, Echinades, Zacynthum, Euboeam, Strophades, Cytheram, Salamina, Aeginā, Cretā, Cyclades, Sporades.

Quot

Quot ſunt tabulæ Africæ?

Quatuor.

Quid continet prima?

Mauritaniam utramque, Tingitanam ſcilicet & Cæſarienſem.

Quid continet ſecunda?

Africam propriè ſic dictam, in qua eſt Carthago, Vtica & Hippon. Ante Africam ſunt duæ ſyrtes, maior & minor.

Quid continet tertia?

Cyrenen, Marmaricã, Libyam, Aegyptum inferiorem, Thebaidem.

Quid continet quarta?

Lybiam interiorem, Aethiopiam ſupra Aegyptum, & Aethiopiam auſtraliorem.

Quot ſunt tabulæ Aſiæ?

Duodecim.

Quid continet prima?

Pontum, Bithyniam, Aſiam propriè, Lyciam, Galaciã, Pamphyliam, Cappadociã, Armeniam minorem, Ciliciam.

Quid continet ſecunda?

Sarmatiam, Aſiaticam, quæ hodie Moſcouia *uocatur.*

Quid continet tertia?

Colchidem, Iberiam, Albaniam, Armeniam maiorem.

Quid continet quarta?

Cyprum inſulam, Syriam, Palaſtinam, Iudæam, Arabiam petræam, Arabiam deſertam, Babyloniam.

Quid continet quinta?

Aſſyriam, Mediam, Suſianam, Parthiam.

Quid continet ſexta?

Arabiam fœlicem, Hyrcaniam, Carmaniam utramq́.

Quid

Quid continet ſeptima?

Margianam, Bactrianam, Sogdianam, Sacas, Scythiam intra Imaum montem

Quid continet octaua?

Scythiam extra Imaum montem & Sericam.

Quid continet nona?

Ariam, Paropamiſadas, Drangianam, Arachoſiam, Gedroſiam.

Quid continet decima?

Indiam cis Gangem.

Quid continet undecima?

Indiam trans Gangem, Sinarum regionem.

Quid continet duodecima?

Taprobanen inſulam, hodie Sumatram. *Atque hæc de antiquo orbe.*

Quare dicitur nouus Orbis?

Non quòd ueteribus omnino incognitus fuerit, ſed quod cùm diu latuiſſet, noſtro ſeculo rurſus detectus ſit. Nam anno Chriſti 1492 Chriſtophorus Columbus Genuenſis primus, Ferdinando & Iſabella regibus Hiſpaniarum, nouum orbem detexit, inuenitq; Cubam & Hiſpaniolam. Poſtea ſub Carolo V ſequuti ſunt Corteſius, qui nouam Hiſpaniã, & Mexicanum regnum: Valboa, qui mare auſtrale, uulgò delzur: Pizarrus, qui Peruanum regnum: Magellanes qui fretum Magellanicum: Pontius, qui Floridam: Franciſcus Fernandes, qui Iucatanam aperuit. Noui itaq; orbis, item ut ueteris, tres ſunt partes, Septentrionalis, America ſeu India Occidentalis, & Meridionalis ſeu Magellanica: utraq; ab inuentoribus ſic dicta. Atq; hactenus de corporibus ſimplicibus, ſeu elementis: ſequuntur compoſita, ſeu mixta.

Quid

Quid eſt corpus mixtum?

Quod ex elementis compoſitum eſt.

Quottuplex eſt?

Duplex: Perfectum & Imperfectum.

Quid eſt imperfectum?

Quod ui ſtellarum ex fumo in aëre gignitur: Græcè μετέωρον.

Quot ſunt ſpecies Meteororum?

Tres ſunt: Meteora enim generantur in aëre uel ſummo uel medio, uel imo.

Quænam generantur in ſummo?

Cometæ & Phaſmata.

Quid ſunt Phaſmata?

Sunt ignes in aëre, uel aſcendentes, uel deſcendentes, ut lampades, bolides, trabes, traiectiones, διάττοντες, chaſmata.

Quænam generantur in medio?

Fulmina, Venti, Nubes, Pluuia: In nubibus fiunt Parelij, Paraſelene, Halones, Iris.

Quænam in imo?

Ignis fatuus, terræmotus, ros, pruina. Atque hactenus de naturis imperfectis.

Quid eſt perfectum corpus?

Eſt corpus quod ex quatuor elementis conſtat.

Quottuplex eſt corpus perfectum?

Duplex: Inanimum ſeu brutum: & Animatũ, ſeu uiuum.

Quottuplex eſt Inanimum?

Duplex: Foſsile & Liquidum. Foſsilia ſunt Metalla & Lapides.

Quid eſt Metallum?

Eſt natura inanima ex ſulphure & argento uiuo, in terræ uenis

ræ uenis ac meatibus conſiſtens. Vt aurum, argentum, plumbum, æs, ferrum, electrum, aurichalcum.

Quottuplex èſt Lapis?

Duplex: Vulgaris ſeu uilis & Rarus, ut Gemmæ & Marmora. Atq; hæc de naturis Inanimatis: ſequuntur animata.

Quottuplex eſt Corpus animatum?

Duplex: Vegetans & Sentiens.

Quid eſt Vegetans?

Eſt planta ſeu ſtirps, ut Arbor, Herba, Fruges, ſub quibus Frumenta & Legumina.

Quid eſt corpus ſentiens?

Eſt animal.

Quid eſt Animal?

Eſt eſſentia corporea plena uitæ & ſenſus.

Quottuplex eſt Animal?

Duplex: Irrationale & Rationale.

Quottuplex eſt Irrationale?

Duplex: Inſectum, ut Apes: & Integrum.

Quottuplex eſt Integrum?

Triplex: Aërium ut Aues: Aquatile ut Piſces: Terreſtre ut Beluæ & Serpentes.

Quid eſt Animal rationale?

Eſt homo.

F I N I S.

DE ETHICA.

TYPVS ETHICÆ SEV officiorum.

Virtutis ſpecies ſunt 4.

- *Prudentia: cuius duo uitia*
  - *Incognita habere pro cognitis.*
  - *In rebus nō neceſſarijs operam magnā ponere.*
- *Iuſtitia: cuius*
  - *Munus eſt, nemini nocere.*
  - *Fundamentum eſt, Fides.*
  - *Contrarium eſt Iniuſtitia.*
  - *Species eſt Liberalitas, cuius cautiones ſunt*
    - Quomodo
    - Quantum
    - Quibus
    - } *dandum ſit.*
- *Fortitudo.*
- *Temperantia.*

Quid eſt Ethica?

Eſt doctrina de moribus: ſeu eſt ars benè beatèq; uiuendi.

Quid eſt bene uiuere?

Eſt ſecundum uirtutem uiuere. Virtus itaque eſt ſubiectum Ethicæ.

Quid eſt Virtus?

Eſt habitus animi in mediocritate conſiſtens.

Quot

Quot ſunt ſpecies Virtutis?

Quatuor: Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia.

Quid eſt Prudentia?

Eſt uirtus, quæ in perſpicientia ueri, ſolertiaq́; uerſatur. Eaq́; maximè attingit naturam humanã. Omnes enim trahimur, & ducimur ad cognitionis, & ſcientiæ cupiditatem.

Quot ſunt uitia Prudentiæ contraria?

Duo: Vnum incognita habere pro cognitis. Alterum, nimis magnum ſtudium, multamq́; operam in res obſcuras, & difficiles conferre, eaſq́; non neceſſarias.

Quid eſt Iuſtitia?

Eſt uirtus quæ in hominum ſocietate tuenda, tribuendoq́; ſuum cuiq́;, & rerum contractarum fide uerſatur.

Quódnam eſt munus Iuſtitiæ?

Nemini nocere.

Quódnam eſt eius fundamentum?

Fides.

Quid eſt Fides?

Eſt dictorum, conuentorumq́; conſtantia, & ueritas: dicta quia fiat quod dictum eſt.

Quot ſunt genera Iniuſtitiæ?

Duo: Vnum eorum qui inferunt iniuriam. Alterum eorum qui ab ijs, quibus infertur, non propulſant, ſi poſſunt.

Quorſum refert Cicero liberalitatem?

Ad iuſtitiam.

Quot cautiones habet liberalitas?

Tres: Quomodo dandum ſit, quantum & quibus.

Quomodo dandum eſt?

Ita, ne obſit benignitas & ijs quibus benignè uidebitur fieri & cæteris.

Quantum

Quantum dandum eſt?

Ne maior benignitas ſit quàm facultas.

Quibus dandum eſt?

Cuiq; pro dignitate. Id enim iuſtitiæ fundamentum eſt.

Quot ſunt in dignitate conſideranda?

Quatuor.

I. *Mores eius in quem beneficium conferetur.*

II. *Animus & beneuolentia erga nos.*

III. *Officia ad noſtras utilitates ante collata.*

IIII. *Communitas & ſocietas uitæ.*

Quot ſunt gradus ſocietatis humanæ?

Sex: Primus eſt uniuerſi generis humani. Secundus eiuſdem gentis. Tertius eiuſdem ciuitatis. Quartus propinquorum. Quintus amicorum. Sextus patriæ.

Quibúſnam igitur plurimum officij eſt tribuendum?

Principes ſint patria & parentes. Proximi liberi. Deinceps propinqui.

Quid eſt Fortitudo?

Eſt uirtus quæ in animi excelſi & inuicti magnitudine, ac robore uerſatur.

Quínam ergo fortes ſunt habendi?

Non qui faciunt: ſed qui propulſant iniuriam.

Quid eſt Temperantia?

Eſt uirtus quæ in omnium quæ fiunt, quæq; dicuntur, ordine & modo uerſatur.

Quænam ſunt præcepta hic tenenda?

Adhibenda eſt mundicia non odioſa, neq; exquiſita nimis: tantum quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam.

gentiam. Eadem ratio habenda eſt ueſtitus: in quo ſicut in pleriſq; rebus mediocritas optima eſt. Cauendum eſt autem ne aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, ut ſimiles pomparum ferculis eſſe uideamur, aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates.

FINIS.

DE OECONOMICA.

Quid eſt Oeconomica?

Eſt ars benè diſpenſandi ſeu rem familiarem adminiſtrandi.

Domus itaque ſeu res familiaris, Oeconomicæ ſubiectum eſt.

Quot in ea ſunt conſideranda?

Tria. I. Fuga uitiorum. II. Ars qua uitæ neceſſaria acquiras. III. Coniugium.

Quænam uitia ſunt Oeconomo fugienda?

Deſidia, pigritia, negligentia: item omnis generis uoluptates: ut luſus, gula, libido, ebrietas, ambitio.

Quænam artes ſunt Oeconomo diſcendæ?

Alij alias artes ſequuntur. Quidam enim operarias artes & ſedentarias diſcunt, ſed ad œconomiam nulla ars utilior eſt quàm agricultura.

Quænam conſideranda ſunt in coniugio?

Officia uxoris & mariti.

Quódnam

Quódnam officium eſt uxoris?

Mulier quæ rem familiarem benè adiuuat, magnum momentum affert uiro ad bonũ illud quod Oeconomiæ propoſitum eſt. Nam etſi pleraq; bona laboribus uiri comparentur: maxima tamen ex parte uxoris diſpenſatione in uſum quotidianum inſumuntur: quæ cùm rectè adminiſtrantur, res familiaris creſcit: ſi uerò perperàm, decreſcit.

Recita aliquot officia uxoris?

I. *Vxoris eſt inſtar ſedulæ apiculæ domi manere, & ſeruos, qui foris laborare ſolent, ad opus mittere: ijs uerò qui domeſticas operas obeunt, quid faciendum ſit, oſtendere.*

II. *Ea quæ domum comportantur, ſuſcipere & quæ cõſumenda ſunt promere: quæ uerò ſeruanda, prouidè condere & cuſtodire, ne uno menſe conſumantur, quæ in annum reponi debeant.*

III. *Rudes filias & ancillas fuſis & calathis tractandis erudire, totamq; familiam ad ſeruitia miniſteriaq; inſtituere.*

IIII. *Ordinem ſeruare in re familiari, quod omnium ferè officiorum domeſticorum præſtantiſsimum eſt.*

V. *Vaſa & inſtrumenta rectè diſpenſare, & famulitio oſtendere quo loco reponenda & quomodo ſalua & integra conſeruanda ſint. Itaque promæ condæ ita commendabit ut numeret prius ſingula & inuentarium eorum conſcribat.*

VI. *Promam condam eliget quæ circa uentrem, uinum, ſomnum abſtinentiſsima ſit, & quæ memoria etiam ualeat.*

VII. *Cogitabit, etiamſi cætera omnia rectè comparata ſunt: nihil tamen actum eſſe niſi & ipſa res adminiſtret & id operam det ut ſingula ſuo ordine peragantur.*

VIII. *Non debet moleſtè ferre ſi maritus plus oneris ſibi imponat quàm ulli de familia. Nam familiæ cuſtodia duntaxat & cura rerum commiſſa eſt: uxor autem etiam uſumfructum ut domina habet.*

Quænam ſunt officia mariti?

Sicut uxoris officium domi concluditur: ita mariti eſt foris acquirere. Duo igitur eius ſunt præcipua officia, Precatio & Labor.

In quibus conſiſtit labor patriſfamiliâs?

In acquiſitione & conſeruatione opum, ualetudinis, honoris, beneuolentiæ.

Quomodo acquiruntur opes?

Diligentia & parſimonia, quæ eſt magnum uectigal.

Quomodo curatur ualetudo?

Temperantia & Labore. Nam is qui tantum cibi ſumit quantum ſatis eſt, & interim ad labores impiger eſt: bona ualetudine fruetur.

Quomodo acquiret paterfamiliâs honorem & beneuolentiam?

Si neminē iniuria affecerit: ſed potiùs beneficijs ſibi conciliauerit omnes quantum fieri poteſt.

Quódnam exemplum de ſe præbere debet Paterfamiliâs?

Patremfamiliâs diligentem quoq; eſſe decet. Neq; enim fieri poteſt, ut is qui negligens eſt, alios diligentes reddat. Rex quidam cùm generoſum quendam equum nactus eſſet, eumq; pinguem reddere uellet: interrogauit aliquem earum rerum peritum, qua ratione equi citò pingues redderentur, reſpondit ille: Quòd oculus domini pinguem faceret equū. ὁ τοῦ δεσπότου ὀφθαλμὸς τάχιστα παχύνει ἵππον.

DE

DE POLITICA.

Quid eſt Politica?

Eſt ars bene gubernandi, ſeu colendi ciuilem ſocietatem. Subiectum igitur huius artis eſt Vrbs.

Quid eſt Vrbs?

Eſt perfecta ex pluribus pagis communio, omnibus rebus neceſſarijs optimè inſtructa. Vrbs enim ex uarijs hominum ordinibus conſtat: diuitibus, pauperibus, agricolis, opificibus.

Quis eſt finis Vrbis?

Beata ciuium uita, ut opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, uirtute honeſta ſit: ut Cicero loquitur, uel ut D. Paulus ait: ut tranquillam & quietam uitam agamus, cum omni pietate & honeſtate.

Quǽnam cauſa efficiens eſt Vrbis?

Natura ipſa. Vrbium enim cõſtitutio naturalis eſt: quin & homo ipſe natura animal congregabile eſt, multoq́ magis quàm ulla apis, aut aliud animal ἀγελαῖον, ut ſunt formicæ, columbæ, grues.

Quǽnam eſt materia Vrbis?

Conſtat ex plagis & domibus.

Quomodo uocantur Græcè qui in eadem domo degunt?

Charondas uocat eos ὁμοσιπύυς, qui ſimul uictitãt quaſi ex una arca panaria. Epimenides ὁμοκάπυς, uel ὁμοκάπνυς. Ὁμοκάποι, qui quaſi ex eodem præſepi uiuunt: ὁμοκάπνοι qui eodem igne & fumo utuntur.

Quǽnam eſt cauſa finalis Vrbis?

Eſt in politiia tanquam ſua anima & uita.

Quid eſt Politica?

Eſt ordo quidã urbem inhabitãtium & magiſtratuum, cũm aliorum, tum præcipuè ſummi.

Quottuplex eſt Politia?

Duplex: Recta & Aberrans.

Quid eſt Recta?

Quæ tendit ad utilitatem communem.

Quottuplex eſt Recta?

Triplex: Monarchia, Ariſtocratia, Timocratia.

Quid eſt Monarchia?

Eſt imperium unius, ad communem utilitatem ſpectans.

Quid eſt Ariſtocratia?

Eſt imperium paucorum ad communem utilitatem ſpectans.

Quid eſt Timocratia?

Eſt imperium populi ad communem utilitatem ſpectans.

Quid eſt Aberrans?

Quæ tendit ad utilitatem priuatam.

Quot ſunt eius Species?

Tres: Tyrannis, Oligarchia & Democratia, ſeu Anarchia.

Quid eſt Tyrannis?

Eſt imperium ad utilitatem unius ſpectans.

Quid eſt Oligarchia?

Eſt imperium ad utilitatem paucorum, ſcilicet diuitum, ſpectans.

Quid eſt Democratia?

Eſt imperium ad utilitatem multorum, ſcilicet tenuiorum ſpectans.

Quot ſunt partes Reipublicæ?

Tres: Senatus, Magiſtratus, Iudicia.

Quid eſt Senatus?

Eſt pars Reipub. de communibus rebus conſultans.

Quarum rerum poteſtas eſt penes ſenatum?

Belli, pacis, fœderum, induciarum, legum, uitæ & necis, exilij, proſcriptionis.

Quid eſt Magiſtratus?

Eſt perſona publica, cui pro poteſtate iubere datum eſt.

Quid eſt Iudicium?

Eſt actus publicus de controuerſijs pecuniarijs & delictis tàm priuatis quàm publicis iudicandis.

DE APODEMICA.

Quid eſt Apodemica?

Eſt ars benè peregrinandi ad conſequendam Politicam rerum cognitionem.

In quibus uerſatur illa cognitio?

In cognoſcendis regionibus & urbibus.

Quænam ſunt in illis conſideranda?

Duo: Corpus & Anima.

Quot in corpore regionis ſunt conſideranda?

Tria: Aër, Aqua, Terra.

Quid in Aëre ſpectandum?

Qualitas & Adiuncta. Qualitas, an ſalubris an peſtilens grauisq́ ſit. Adiuncta, ut uenti, aues, & inſecta.

Quid in aqua conſiderandum?

Flumina perpetua, torrentes, lacus. & horum deriuatio: balnea, thermæ, piſcinæ, fontes, riui, aquæductus.

Quid in terra conſiderandum?

Regio, urbes, agri, pagi, uici, arces, mineræ ſeu fodinæ, genera metallorum, uillæ, animãtia domeſtica & fera, frumentorum, plantarum: frequentia urbium, ubertas ſoli, res geſtæ, appellatio.

Quænam ſunt conſideranda in Corpore urbis?

Ambitus, Centrum, Radij, Area. In ambitu ſeu circuitu ſunt naualia, portus, portæ & muri. Centrum eſt medium urbis punctum, ubi plerunq; forum eſſe ſolet. Radij à centro exeuntes ſunt plateæ & uiæ ſtratæ. Area urbis continet uicos ſeu parœcias campos, forum & ædificia. Forũ eſt frumentarium piſcarium, ſuarium, boarium, uinarium, ſcrutarium, lignarium.

Quotuplicia ſunt ædificia?

Duplicia: Publica & Priuata.

Quænam ſunt Publica?

Curia, ærarium, horrea, cellæ, theatra, porticus, baſilicæ ſeu palatia. Xenodochia, noſodochia, thermæ. Et hæc quidem Politica. Eccleſiaſtica autem ſunt templa cum cœmiteriis & epitaphijs, cœnobia, ſeu monaſteria. Huc pertinent Collegia cum bibliothecis & Armamentaria, ubi conſideranda genera armorum & inſtrumentorum bellicorum.

Quot ſunt conſideranda in Anima urbium?

Duo: Politia & Incolæ.

Quot ſunt in Politia conſideranda?

Species Politiæ: Monarchia ne ſit, an Ariſtocratia, an Timocratia. Item leges, iudicia, ſenatus. Genus nummi, & eius ſpecies & partes.

Quænam

Quǽnam in Incolis ſunt conſideranda?

An ciues ſint, an aduenæ. Qui eorum mores, qui ritus, qui habitus, quæ ratio uictus, quæ genera bellandi: qui deniq; ſtatus. Ciuium enim ſtatus alius eſt publicus, alius priuatus. Publicus ſtatus eſt in magiſtratu Politico, Academico, Eccleſiaſtico. E' priuatis conſiderandum eſt quí nam inſignes ſint diuitijs, nobilitate, artibus uel bellicis uel liberalibus (ut Philoſophi, Theologi, Iureconſulti, Medici) uel mechanicis.

DE ANTIQVITATIS STVDIO.

Quottuplex eſt Antiquitas?

Duplex: Religioſa & Prophana.

In quibus conſiſtit Religio ueterum?

In Dijs, in ſacrificijs, in ſacerdotibus, in templis, in ſtatuis ſeu ſimulacris, in imaginibus, in ludis, in uotis & alijs.

Quínam fuerunt Dij ueterum?

Πολυθείαν illam Romanam Plinius in ſummam retulit. Nam Dij fuerunt, inquit, uirtutes & uitia, ut pudicitia, ut concordia, mens, ſpes, honor, clementia, fides: item inferi in genera deſcripti: adhæc morbi, peſtes, febris, mala fortuna.

Quǽnam erant ſacrificia ueterum?

Varia. Erant quædam quibus utebantur in ludis ſecularibus, erant & ambarualia, quibus arua & fruges porca luſtrabant: erant alia gentilitia familiarumq́; propria: alia uotiua pro uotis publicis: alia Veſtalium uirginum, ignem perpetuum conſeruantium: alia ſoteria pro ſalute principum, &c.

Quǽnam

Quænam erant inſtrumenta ſacrificiorum?

Varia etiam erãt: ut acerræ, thuribula, præfericula, ſympula ſeu ſympuuia, capedines & fictiles urnulæ: item candelabra, pateræ, diſci, ſeceſpitæ, ſeuæ, enclabria, dolabræ, olla.

Quænam erant ſpecies ſacerdotum?

Plurimæ: ut fratres Aruales, qui ſacra ambaruualia procurabant: ut Augures, qui augurijs operam dabant: horum erat cauea pullaria, tripudium ſoliſtimum, & auguralis baculus, qui lituus dicebatur. His adde Flamines, ſacerdotes ſalios, à ſaliendo dictos, cum ſuis ancilibus, Veſtales, Victimarios, Popas.

Quænam erant templa ueterum?

Varia. Pantheon, templum omnium Deorum: Iani, Iouis, Iunonis, Libertatis, Dianæ, Aeſculapij, Cõcordiæ, Mercurij, Pacis, Veneris, Virtutis, Honoris, Bacchi, Fœlicitatis, Victoriæ, Pietatis, Sanitatis, Solis, Fortunæ, Martis, Veſtæ, Romæ, Aeternitatis, Fidei, Herculis.

Quænam erant genera ludorum?

Megalenſes, Apollinares, Auguſtales, Capitolini, Caſtrenſes, Circenſes, Conſuales, Compitalitij, Funebres, Gladiatorij, Iuuenales, Martiales, Plebeij, Equiria, Scenici, Seculares, Taurij, Theatrales, Troici.

Quottuplices erant feriæ?

Duplices: Propriæ familiarum & Publicæ.

Quottuplices erant publicæ?

Quadruplices: I. Statæ ſeu ſtatiuæ, ut Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. II. Conceptiuæ, quæ quotannis à magiſtratibus concipiebatur, ut Latinæ, Sementinæ, Paganalia, Cõpitalia. III. Imperatiuæ, quas Coſſ. & Prætores pro arbitrio indicebant. IIII. Nundinæ, quæ erant paganorum & ruſticorum.

- *Feriæ*
  - *Publicæ*
    - *Ciuium*
      - *Statæ.*
      - *Mobiles*
        - *Conceptiuæ.*
        - *Imperatiuæ.*
    - *Paganorum.*
  - *Priuatæ.*

Qúænam erant uota publica?

Erant uel quinquennalia, uel decennalia, uel uicennalia, uel tricennalia, uel quadricennalia. Atque hæc de antiquitate religioſa.

Quottuplex eſt profana antiquitas?

Duplex: Politica, & Bellica.

Qúænam ſunt in politica antiquitate conſideranda?

Status Reipub. comitia, claſſes, iura, leges, iudicia, magiſtratus, faſti.

Quínam fuit ſtatus Reipub. Romanæ?

Reſpub. Rom. omnes politiarum formas experta eſt. Regia enim principiò fuit, paulò pòſt in tyrannidem conuerſa. Tyrãnis uerò expulſis, Ariſtocratia in patribus ſecuta: ſed eadem repentè per auaritiam & libidinem in oligarchiam mutata eſt. Hinc plebis ſeceſsione tribunatu conſtituto, Democratiæ ſpecies quædam extitit.

Quot fuerunt ordines populi?

Tres: Senatus, Equeſter, & Plebeius.

Quomodo fuit diuiſus populus?

In XXXV. Curias & V. Claſſes.

Quottuplicia erant Comitia?

Triplicia: Curiata, Centuriata & Tributa.

Qúænam fuerunt Iura?

Alia erant ciuium Ro. alia Italorum, alia prouinciarũ.

Qúænam

Quænam erant leges?

Variæ erant.

Qui nam erant magiſtratus?

I. Reges erant: qui trabea utebãtur & ſella curuli cũ XII. lictoribus, qui præibãt cum ſecuribus & faſcibus: ipſi ſtipati Celerum cohorte.

II. Senatores erant primò centum, poſtea trecenti, tãdem mille. Hi lato clauo & calceis lunatis à reliquis ciuibus diſtinguebantur ſicut equites annulo aureo: Erantq; uel conſcripti, uel allecti uel pedarij.

III. Coſſ. bini erant, ijq; annui: quam dignitatem qui petebant, candidati dicebantur, ijq; tribus circumibant, ſingulosq; prenſantes, gratiam & ſuffragia colligebant, unoquoq; plebeiorũ & popularium benignè & nominatim appellato, quam ad rem nomenclatores habebant, qui ſingulorum nomina tenebant, candidatisq; ſuggerebant. Conſules ipſi in bellum profecturi, paludati erant: id eſt, paludamento (quæ chlamys erat imperatoria) induti.

IIII. Præfecti urbis. prætorio, annonæ, uigilum, alarũ, cohortium, caſtrorum, fabrorum.

V. Prætores urbani & peregrini.

VI. Dictator & magiſter equitum.

VII. Tribuni pl. militum, ærarij.

VIII. Cenſores, ædiles, quæſtores, decemuiri ſtlitibus iudicandis, &c.

Quid ſunt Faſti?

Sunt deſcriptio annua magiſtratuum Rom. cum rebus illorum geſtis.

Quottuplices fuerunt ueſtes?

Duplices: Muliebres ut ſtolæ: & Viriles ut toga: item contra tempeſtates comparatæ, ut penula & ſcortea. Item bellicæ,

licæ, ut paludamentum, ſagum, caligæ, lucerna.

Qualis fuit res nummaria?

Ampla fuit: quot enim nummi: tot ferè imagines inueniuntur. Nam ueteres in nummis ſculpebant, fundebãtq́; templa, prouincias deuictas, caduceum, dextras inter ſe iunctas, Ianum bifrontem & quadrifrontem, naues, manipulos, cornucopiæ, capram Amaltheam, fulmen, honorem & uirtutẽ, pauonem, aquilam, noctuam, ſtruthionem, formicam, quadrigas, bigas, matrem Cybelem, apros, canes, ceruos, damas, tauros, leones, delphinas, hippopotamos, ſerpentes, pileos cũ pugionibus, libras, elephantos lynces, tigrides, Mercuriolos petaſatos, lupam geminos alentem, Solem, Lunam, Romam ſepticollem, Italiam, Victoriam, clauam Herculis, Cerberum, citharam, Marſyam excoriatum, tripodes, cupidines, crocodilos, agnos, Pegaſos.

Quænam erant ædificia ueterum?

Eorum magnum diſcrimen fuit. Hinc theatra, amphiteatra, circus maximus, agonalis & alij: & in his obeliſci & metæ: hinc arcus triumphales, odea, orcheſtræ, thermæ, naumachia, mauſolea, hippodromi, coloſſi, baſilicæ, aquæductus, caſtella aquarum, piſcinæ, cryptæ, armiluſtria, pontes, naualia. Accedunt his inſcriptiones antiquorum marmorum & lapidum: item epitaphia.

Quottuplices erant notæ?

Duplices: Priuatæ & Publicæ.

Quænam erant Priuatæ?

Erant in monumentis & ſepulcris. Vt I O.M.S. Ioui optimo Max. ſacrum. D.M.S. Dijs manibus ſacrum. H.M.P. Hoc monumentum poſuit. H.S.E.S.T.T.L. Hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis.

Quænam

Quǽnam erant Publicæ?

Erant in nominibus magiſtratuum: ut DICT. R. G. C. Dictator rei gerendæ cauſa. S. S. C. Seditionis ſedandæ cauſa. Atq; hæc de Politica antiquitate.

Quǽnam eſt antiquitas bellica?

Eſt tota in diſciplina militari: eaq; uel terra, uel mari. Hîc igitur Imperator exercitus, genera militum, legionis numerus, caſtrametatio, ſigna prælij, inſtrumenta bellica occurrunt.

Quot magiſtratus mittebantur in prouinciam?

Duo: Præſes & Quæſtor.

Quínam erant in Comitatu præſidis?

Legati, tribuni militum, centuriones, præfecti, decuriones, cohors prætoria.

Quódnam erat eius officium?

Erat non ſolùm in imperio & bello gerendo ac diſciplina militari: ſed etiam in poteſtate prætoria.

In quibus uerſabatur poteſtas Prætoria?

Non ſolùm in cognitione & conuentibus indicendis & iuriſdictione, ſed etiam in curatione rei frumentariæ & tributorum ac uectigalium.

Quódnam erat officium quæſtoris?

Is propria adminiſtratione curabat pecuniã, prædamq; publicam, & conficiebat earum rerum tabulas.

Ex quibus conſtabat exercitus?

Ex legionibus ciuium & auxilijs ſociorum.

Quis fuit numerus legionis?

Primis tẽporibus triũ milliũ fuit: poſtea quaternûm milliũ: deinde quinis millibus peditũ, trecenis equitibus conſtitit.

Quǽnam

Qúænam erant genera armatorum?

Duo erant: Pedites & Equites. Ex peditibus erant ueli-tes, haſtati, principes, pilani ſeu triarij.

Qúænam erat caſtrametatio?

In loco pro caſtris delecto, deſignabatur punctum pro prætorio & ſummo ducis tentorio: circa id punctum quadratum tanto interuallo quantum exercitus requirebat, ducebatur. In eo quadrato anguli quatuor erant portæ quatuor: ex quibus prætoria ad orientem, decumana ex diametro oppoſita, quæſtoria ad meridiem, quintana ad ſeptentrionem erat.

Qúænam erant ſigna bellorum & prælij?

Erant partim uocalia, partim muta.

Qúænam erant Vocalia?

Tubæ, cornua, litui.

Qúænam erant muta?

Aquilæ, dracones, uexilla ſeu labarum, manipuli.

Qúænam erant inſtrumenta bellica?

Vineæ, arietes, muſculi, turres ambulatoriæ, ualli, teſtudo, catapultæ, ſcorpiones.

Qúænam erant naues ueterum?

Longæ, actuariæ, onerariæ, liburnicæ, pontones, phaſeli.

Qúænam habebant inſignia?

Inſignia nauium Græci uocant παράσημα. *Inde aliquæ naues uocabantur* κριοὶ: *id eſt, hirci, quòd id genus animalium* παράσημον *haberent. Item centaurus, piſtris, bucentaurus Venetorum.*

DE POLEMICA SEV DISCIPLINA rei militaris.

Quid eſt diſciplina rei militaris?

Eſt diſciplina belli rectè adminiſtrandi.

In quibus rebus uerſatur?

In tribus: In Apparatu, Caſtris & Congreſſu.

In quibus eſt Apparatus belli?

In delectu & commeatu.

Quis fuit delectus?

Fuit in legione.

Quis fuit numerus legionis?

Legio primis Vrbis Rom. temporibus trium milliũ fuit, ait Varro: ac ſingulæ tribus Tatienſium, Ramnium, Lucerum millia ſingula mittebant. Poſtea (ut ait Liuius lib. 7.) quaternûm millium & ducenorum peditũ fuit: deinde quinis millibus peditum, trecenis equitibus conſtitit. Ergo legio numerũ illum habuit, ſed ciuium: nam alterum tantum ex ſociorum delectu adijciebatur.

Quot erant cohortes legionis?

Decem.

Qúænam perſonæ ſunt in legione?

Principes & milites.

Quinam ſunt principes?

Imperator, Tribuni, Centuriones.

Quótnam debet Imperator habere?

Quatuor: Scientiam rei militaris, Virtutem, Autoritatem, Fœlicitatem. Vſu enim periti rudibus erudiendis præficiendi ſunt. Nemo enim benè poteſt imperare, qui non antè paruerit,

parueritnec alios docere, quod à nemine dedicerit. Ipſe autem dux, prætor, Conſul, aut eiuſmodi poteſtate à populo Rom. deligebatur.

Quot erant tribuni militum?

Initio erant tres pro tribus tribubus. At Polybij tempore in quatuor legionibus uiginti quatuor.

Quottuplices erant?

Duplices. Erant enim uel comitiati, qui à populo eligebantur: uel rufuli, qui in exercitu fiebant, ut ſcribit Aſconius.

Quódnam fuit eorum inſigne?

Aureus annulus.

Quot fuerunt Centuriones?

Sexaginta fuerunt: bini deni nimirum in ſingulis aciebus, quarũ tres erant, haſtatorum, principum, triariorum. Horum omnium princeps fuit primipilus ſeu primipili centurio.

Quódnam fuit eorum inſigne?

Vitis.

Quot ſunt conſideranda in militum delectu?

Tria ferè: ut deligatur ciuis, robuſtus & in re militari peritus.

Cur Ciuis?

Quia maiore charitate pro aris & focis, pro coniugibus & liberis, pro patria denique dimicatur, quàm pro quauis mercede & pecunia.

Cur robuſtus?

Quia miles non à moribus, aut fortuna, ſed à uiribus probatur. Itaq; miles ex ijs legendus eſt, qui quotidiano opere laborem ferre didicerint, ut ſunt fabri ferrarij, tignarij, lanij, uenatores.

Cur peritus armorum?

Quia id militiæ opus eſt. Itaq; Romæ campus Martius militarium ſtudiorum ſchola fuit, ut Rom. iuuentus ad palum omni genere armorum & quidem ueris duplo grauiorũ exerceretur, caput petendo, lateribus inſidiando, poplites ſuccidendo, inſiliendo, reſiliendo, punctim potius quàm cæſim feriendo, & interim tamen aſsiduè ſeſe protegendo, item iaculando. Pars enim tyronum tertia, uel quarta, pilis, lapidibus, ſagittis, manu, funda, arcu iaculandis exercebatur. Tum uerò ſaltu, foſſæ latitudinẽ, aut ualli altitudinem ſuperare: præcipuè autem curſu, locum occupare, fugientẽ aſſequi conſueſcebat. Sic Pompeius (ut à Saluſtio traditum eſt) cum alacribus ſaltu, cum uelocibus curſu, cum ualidis uecte certabat.

Quǽnam erat exercitatio equitum futurorum?

Equi lignei erant in campo, ut inſilire, deſilire, dextra, læua, inermis, armatus, diſtricto etiam gladio futurus eques addiſceret, ueros etiam equos domaret & futuris prælijs aſſuefaceret. Sic Cæſari (ait Plutarchus) equitãdi uſus à puero facilis fuit: Conſueuerat enim reflexis & poſt tergum implicatis manibus equum celeriter agitare. Quinetiam equo (ut Suetonius ait) utebatur inſigni, pedibusq; propè humanis & in modum digitorum ungulis fiſsis: quem natum apud ſecum aruſpices imperium orbis terræ ſignificare domino pronunciaſſent, magna cura aluit, nec patientem ſeſſoris alterius, primus aſcendit: cuius etiam inſtar pro æde Veneris genitricis poſtea dedicauit. Deniq; Tiberis Martio cãpo uicinus aderat, qui natando traiectus collectum exercitatione puluerem & ſudorem ablueret.

Quottuplex fuit armatura?

Duplex: Grauis & Leuis.

Quæ

Qúænam fuit Grauis?

Fuit legionarij peditis cataphracti πανοπλία: in gladio maiore & minore, pilo, ſcuto, galea, lorica, manicis, ocreis.

Quid fuit pilum?

Fuit telum Rom. proprium, longitudine ferè bicubitali, craſsitudine digitali, ſpiculo palmi, ſed ſenſim ſic attenuato atq; acuto, ut ſtatim primo iactu infixum inflecteretur, ne euelli poſſet.

Quale fuit ſcutum?

Scuti longitudo quatuor pedibus maior fuit, ſuperficies curua, latitudine ferè tripedali, ut facilè totus miles ſcuto protegeretur.

Qúænam fuit leuis armatura?

Fuit equitis, peditum quoque ſagittariorum & funditorum, in gladijs, haſtis, gæſis. Atq; hæc de delectu.

In quibus rebus eſt commeatus?

In ſtipendio & re frumentaria.

Quibus rebus conſtabat ſtipendium?

Nummo, annona, ueſtibus. Atq; hæc de Apparatu.

DE CASTRIS.

Quot ſunt in caſtris conſideranda?

Tria: Progreſſus agminis in caſtra, Architectura caſtrorum, Caſtrenſis armorum meditatio.

Quot ſunt conſid. in progreſſu?

Duo: Regionum notitia & Agminis ductus.

Qúænam conſid. in regione?

Interualla locorum, uiarum genera, compendia, diuerticula: montes, flumina, duces uiarum & fideles & probati.

Quottuplex eſt iter?

Duplex: Terreſtre & Flumine, Mariq; impeditum.

Quot modis traijcitur flumen?

Quatuor: Pōte, nauib. diducto in plures alueos fluuio, uado.

Quænam ſunt conſideranda in architectura?

Tria: Locus, Forma, Conſtructio.

Qualis debet eſſe locus?

Idoneus frumentationi, pabulationi, aquationi, lignationi, ualetudini militum, uictoriæ ſi dimicandum ſit.

Quænam erat forma caſtrorum?

De hac ſuprà diximus in ſtudio antiquitatis.

Qualis erat conſtructio caſtrorum?

Caſtra fiebant per militem legionarium, qui erat artifex tentoriorum, foſſarum, uallorum: eaq́ faciebat materiando, fodiendo, aggerando Non quòd omnes milites architecti fuerint, ſed quòd materiari & cuilibet operi materiam cædere & dolare conſueſſent, nec minus laborioſè ſecures, & dolabras expedire, quàm enſes & parmas tractare.

Quænã fuit caſtrenſis meditatio & militaris ſchola?

Fuit in ambulatione ſeu decurſione, tyronum exercendorum cauſa & in exercitus luſtratione.

Quænàm fuit decurſio?

Liuius lib. 36. de Scipione Africano ſic ait: Primo die legiones in armis quatuor millium ſpacio decurrerunt, ſecundo die arma curare & tergere ante tentoria iuſsit: tertio die ſudibus inter ſe in modum iuſtæ pugnæ concurrũt, præpilatisq́ miſsilibus iaculati ſunt, quarto die quies data, quinto iterum in armis decurſum eſt.

Quænam fuit luſtratio?

Qua tanquam in Romani cenſus luſtro, cuiuſq́ peditis & equitis uirtus, aut ignauia pro meritis afficiebatur.

Quænam erant præmia?

Donatiuũ, armillæ, torques, equi, agri aſsignati, honores.

Quænam erant ſupplicia?

Fuſtigatio, Decimatio, Ignominiæ cauſa miſsio.

Quid

Quid eſt Fuſtigatio?

Si quis furatus eſſet, aut præmij conſequendi gratia peierasſet, aut locum in acie deſeruiſſet, aut in uigilijs dormitaſſet, fuſtibus cedebatur ac lapidibus obruebatur.

Quid eſt Decimatio?

Si totus exercitus, aut magna pars deliquiſſet, ſorte decimus quiſq; ad ſupplicium legebatur: reliquis extra uallum agentibus annona ordeum tantum erat, donec egregio facinore ſatisfactum uideretur. Vide Brodæum libro 1. Miſcell. cap. 9.

Quid eſt Ignominiæ cauſa miſſio?

Fuit exautoratio militis in pœnam maleficij commiſsi.

DE CONGRESSV.

Quǽnam conſideranda ſunt in Congreſſu?

Duo: Primò communia & generalia capita. Deinde Speciales prælij differentiæ.

Quot ſunt in prælijs communia?

Quatuor: Vires, Locus, Ordo, Cohortatio.

Quales debent eſſe Vires?

Quæ ſatis ſint ad uictoriam. Itaque qui uiribus eſt inferior, aut pugna abſtineat, aut hoſtem diſtrahat.

Qualis debet eſſe Locus?

Superior aut ſitu & natura, aut arte.

Qualis eſt ordo aciei?

Acies uariatur, uel Numero, uel Figura. Numero, ſimplex, duplex, triplex, quadruplex. Figura, cuneata, quadrata, rotunda appellatur.

Quid eſt Cohortatio?

Eſt cos militaris uirtutis. Eſt enim quædam animi incitatio atq; alacritas naturaliter innata omnibus, quæ ſtudio pugnæ incenditur. Hanc non reprimere, ſed augere im-

peratores debent. Neque fruſtra antiquitatis inſtitutum eſt: ut ſigna undiq; concinerent, clamoremq́; uniuerſi tollerent, quibus rebus & hoſtes terreri & ſuos incitari exiſtimauerũt.

Quænam ſunt ſpeciales differentiæ prælij?

Duæ ſunt. Eſt enim aliud terreſtre, aliud nauale. Terreſtre autem in locis uel patentibus, uel clauſis & munitis.

Quomodo expugnantur loca munita?

Vel ex itinere primo impetu, uel longiore oppugnatione. Nam ſi propter latitudinem foſſæ, muriq; altitudinem, repentino impetu urbs expugnari non poſsit, uineis, actis, aggere iacto, turribus ambulatorijs conſtitutis oppugnatur.

Quid eſt Vinea?

Eſt machina lignea, crudis corijs intexta, lata pedes octo, alta ſeptem, longa ſedecim, ſub qua milites tecti ad muros accedunt.

Quid eſt Agger?

Eſt tumulus, lapidibus, terra, cratibus aggeſtus.

Quid eſt turris ambulatoria?

Eſt machina, cuius ima parte aries ad ſubruendum, falxq; ad diſtrahendũ murum educitur: media, pons aditum in urbem facit: ſumma ſagittarij & funditores, muro propugnatorem deijciunt.

DE HISTORIA.

Quid eſt Hiſtoria?

Eſt memoria rerum in hoc mundo geſtarum. Eius igitur ſubiectum ſunt res ab hominibus geſtæ.

Quottuplex eſt Hiſtoria?

Duplex: Vniuerſalis & Particularis.

Quid eſt Vniuerſalis?

Quæ cõmemorat res uniuerſas: eaq; eſt rurſus uel Eccleſiaſtica, quæ præcipuè cõmemorat res eccleſiæ: eaq; omniũ

prima eſt & antiquiſsima: & Politica, quæ Monarchiarum, Imperiorumq́ & Rerumpub. initia, cōſtitutiones, incrementa, gubernationes, & conuerſiones, mutationesq́ exponit.

Quid eſt Particularis?

Quæ commemorat res particulares.

Quot conſid in Hiſtoria legenda?

Quinq; 1. Ordo. 2. Tēpus. 3 Locus. 4. Autores. 5. Synopſis.

I. Quis eſt ordo Hiſtoriæ?

Hiſtoria uniuerſalis continet res geſtas duplicis mundi, tum eius qui fuit ante eluuionem, tum eius qui poſtea fuit. Res uerò quæ poſt eluuionem acciderunt, partim ante Chriſtum natum, partim poſtea contigerunt.

II. Quid in tempore conſiderandum eſt?

Chronologia, quæ ab Euſebio, Lucido, Chytræo, Funccio deſcripta eſt. In ea obſeruandæ ſunt Epochæ ſeu æræ temporum & Synchroniſmus.

Quid eſt Epocha?

Eſt cuiuſq; regni & imperij initium.

Quid eſt Synchroniſmus?

Eſt congruentia temporis, in rebus ab vno populo, aut principe geſtis, cū alterius populi aut principis rebus geſtis.

III. Quid in loco conſiderandum eſt?

Geographia, cuius autores ſunt Ptolemæus, Strabo, Plinius, Solinus, Mela, Dionyſius, Glareanus, Munſterus.

IIII. Quinam ſunt autores Hiſtoriæ uniuerſalis?

Iuſtinus, Diodorus Siculus, Zonaras, Oroſius, Iornandes, Sabellicus, Cario.

Quínam ſpecialis?

Moſes, Herodotus, Thucydides, Xenophō, Arrianus, Curtius, Liuius, Dionyſ. Polybius, Salluſt. Cæſar, Sueton, &c.

V. Quænam eſt Synopſis hiſtoriæ?

Hiſtoria poſt diluuiũ diuiditur in quatuor Monarchias, Aſsyriorũ, Perſarum, Macedonũ & Romanorũ: ex oraculo Danielis cap. 7. Vidi in uiſione mea & ecce quatuor uenti cœli pugnabant in mari magno & quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari: prima quaſi leæna: ſecunda ſimilis urſo: tertia ſimilis pardo: quarta aũt beſtia ἀνώνυμος, terribilis erat & mirabilis, & fortis nimis: & habebat cornua decẽ & ecce cornu paruum ortum eſt de medio eorum, & tria de cornibus auulſa ſunt ab eo: & ecce oculi, quaſi oculi hominis erãt in cornu iſto & os loquens magnifica & cornu illud faciebat bellum aduerſus ſanctos & præualebat eis. Quartam beſtiam omnes intelligunt Monarchiam Rom & decem cornua, decem regna imperio Rom. ſubiecta, ut ſunt Syria, Aegyptus, Aſia, Græcia, Italia, Gallia, Hiſpania, Africa, Germania, Anglia. Alij intelligunt decem prouincias conſulares, in quas diuiſum fuiſſe totum imperium, Strabo in fine lib. 17 teſtatur. Per paruum cornu intelligunt Turcicum imperium, & hæc opinio cap. 13. Apocalypſeos confirmari uidetur.

Quis fuit primus rex Aſſyriorum & ultimus?

NINVS *fuit primus: ultimus* SARDANAPALVS.

Quis fuit primus, quis ultimus Perſarum?

Cyrus fuit primus: Darius ultimus.

Quis fuit primus Monarcha Macedonum?

Alexander Magnus.

Quis fuit primus & ultimus rex Romanorum?

Romulus fuit primus: ultimus Tarquinius Superbus.

Quis fuit primus Imperator Romanus?

Iulius Cæſar, quem ſecutus eſt Auguſtus.

Quis

Quis fuit primus Imperator Conſtantinopolitanus?

Conſtantinus Magnus: ultimus fuit Conſtantinus Palæologus, ſub quo Conſtantinopolim Turcæ ceperunt, &c.

FINIS.

DE IVRISPRVDENTIA.

Quid eſt Iuriſprudentia?

Eſt ars æqui & boni. Eius ſubiectum eſt Iuſtitia.

Quid eſt Iuſtitia?

Eſt conſtans & perpetua uoluntas, ius ſuum cuique tribuendi.

Quottuplex eſt Ius?

Duplex: Publicum & Priuatum.

Quottuplex eſt Priuatum?

Duplex: Naturale & Ciuile.

Quid eſt Ius naturale?

Quod natura omnia animalia docuit. Ex eo iure deſcẽderunt matrimonium, liberorum procreatio & educatio.

Quid eſt ius Ciuile?

Quod quiſq; populus aut ciuitas ſibi conſtituit.

Quot ſunt eius ſubiecta?

Tria: Perſonæ, Res, Actiones.

DE PERSONIS.

Quomodo diuiduntur perſonæ?

In ſeruos & liberos: & liberi rurſus ſunt, aut alieni iuris, aut ſui.

Quínam ſunt alieni iuris?

Qui ſunt in poteſtate patria.

Quot cauſis acquiritur patria poteſtas?

Tribus: Nuptijs, Legitimatione & Adoptione.

Quid ſunt Nuptiæ?

Nuptiæ ſiue matrimonium eſt uiri & mulieris coniunctio, indiuiduam uitæ conſuetudinem continens. Contrahuntur autem conſenſu: & impediuntur cognatione, affinitate & publica honeſtate.

Quid eſt Legitimatio?

Eſt actus ciuilis, quo qui naturales ſunt, efficiuntur legitimi, idq; uel reſcripto principis, comitiſúe palatini, uel teſtamento.

Quid eſt Adoptio?

Eſt actus ciuilis; quo qui filius non eſt, pro filio habetur ciuiliter, ut ſcilicet familiam & hæreditatem cernat.

Quot ſunt cauſæ amittendi patriam poteſtatem?

Quinq;: Mors, dignitas ſumma, captiuitas, emancipatio, adoptio.

Quænam eſt differentia perſonarum ſui iuris?

Quædam ſunt in tutela, quædam in cura.

Quid eſt Tutela?

Eſt poteſtas iuris ciuilis ad tuendum eum qui propter ætatem ſe defendere nequit.

Quando finitur Tutela?

Pubertate: Id eſt, anno decimoquarto in Maſculis, duodecimo in fœminis.

Quid eſt Cura?

Eſt poteſtas iuris ciuilis ad tuendas res puberis minoris.

Maſculi

Maſculi enim puberes & fœmellæ uiripotentes, ad uiceſimum quintum annum completum curatores accipiunt. Atq; hæc de Perſonis, ſequitur de Rebus.

DE REBVS.

Quot ſunt conſid. in rebus?

Duo: Dominium & Obligatio.

Quænam eſt differentia rerum?

Res quædam ſunt extra commercium ſeu patrimonium noſtrum: quædam in patrimonio noſtro. Extra cōmercium ſunt iuris uel humani, uel diuini.

Quænam ſunt iuris humani?

I. *Communes, ut aër, aqua profluens, mare, eiuſq; littora.*

II. *Publicæ, ut flumina portus, ripæ.*

III. *Vniuerſitatis, ut in ciuitatibus, theatra, ſtadia, balnea, porticus.*

Quænam ſunt diuini iuris?

I. *Res ſacræ, quæ Deo ritè per pontifices ſacratæ ſunt: ut templa, donaria.*

II. *Religioſæ, ut monumenta.*

III. *Sanctæ, quæ pœna capitis ſancitæ ſunt: ut muri & portæ ciuitatis.*

Quænam res ſunt in patrimonio noſtro?

Quæ ſingulorum ſunt & quarum dominium acquiri poteſt: Suntq; uel Singulares uel Vniuerſales. Singulares ſunt uel Corporeæ, uel Incorporeæ.

Quænam ſunt Corporeæ?

Quæ tangi poſſunt: ut fundus, ueſtis, aurum: eæq; acquiruntur occupatione, acceſsione, inuentione, traditione.

Quid eſt res incorporea?

Quæ tangi non poteſt & in iure conſiſtit: ut Seruitus: ut Iter, uia, aquæductus.

Quomo-

Quomodo acquiruntur res uniuerſales?

Per hæreditatem, quæ datur uel ex teſtamento, uel ab inteſtato.

Quot ſunt gradus ſucceſſionis ab inteſtato?

Quinq; Deſcendentium, Aſcendentium, Tranſuerſalium, Coniugum, Fiſci.

Quid eſt Obligatio?

Eſt ius quo impoſita eſt neceſsitas alicuius rei ſoluendæ ſecundum noſtræ ciuitatis iura.

Quot ſunt ſpecies obligationis?

Duæ: oritur enim aut ex contractu, aut ex delicto.

Quænam ſunt ſpecies contractus?

Mutuum, Commodatum, Depoſitum, Pignus, Stipulatio, Fideiuſsio, Syngrapha uel chirographum, Emptio & Venditio, Locatio & conductio, Societas, Mandatum.

Quomodo tollitur obligatio?

Solutione & acceptilatione.

Quæ ſunt ſpecies delicti?

Furtum, Rapina, Damnum, Iniuria.

DE ACTIONIBVS.

Quid eſt Actio?

Eſt ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur.

Quid eſt Iudicium?

Eſt actus legitimus ritè cognoſcendi & definiendi controuerſias ad iudicem deductas.

Quot perſonæ conſtituunt iudicium?

Tres Iudex & duo litigatores, Reus & Actor, qui in criminali iudicio dicitur Accuſator.

Quot

Quot ſunt conſideranda in litigatoribus?

Quatuor: In ius uocatio, Satiſdatio, Arma & Pœna temeritatis.

Quænam ſunt arma litigatorum?

Actio ſeu libellus, Exceptiones, Replicationes, Duplicationes, Triplicationes.

Quot modis coërcetur temeritas litigatorum?

Tribus: Iureiurando calumniæ, Mulcta & Infamia.

FINIS.

RVDIMENTA INSTITVTIONVM IVRIS.

Quid eſt Iuriſprudentia?

Eſt nihil aliud quàm ſcientia iuris.

Quottuplex eſt ius?

Duplex: Publicum & priuatum. Illud eſt quod ad ſtatũ Reip. Hoc, quod ad utilitatem ſingulorum ſpectat.

Quottuplex eſt priuatum?

Duplex: Naturale & Ciuile.

Quid eſt Naturale?

Quod natura omnia animalia docuit. Id ſæpè etiam ius gentium uocatur, quo ſcilicet omnes gentes utuntur. Huc pertinet iudiciarius proceſſus: præcipuè quoad naturalem defenſionem.

Quot ſunt conſideranda in proceſſu?

Duo; Inſtantia & Executio.

Quottuplex eſt inſtantia?

Duplex: prima & ſecunda.

Quot ſunt in prima inſtantia conſideranda?

Duo: Termini iudiciales & Sententia.

Quot ſunt termini iudiciales?

Decem: Aditio iudicis competentis ſeu citatio, Actio, Induciæ ſeu dilatio, Exceptiones, Satiſdatio, Litis conteſtatio, Iuſiurandum calumniæ, Poſitiones & ad eas reſponſiones, Probationes, Concluſio. Ex his tres priores termini dicuntur præparatorij: quartus dicitur Dilatorius, reliqui dicuntur accepti iudicij. Nam

1. *Actor iudicem competentem adit, cuius iuriſdictioni reus eſt ſubiectus & reum citari petit.*

2. *Reo comparente actor libellum iudici & per hunc aduerſario exhibet.*

3. *Reus dilationes petit, ad deliberandum contenderene an liti cedere uelit.*

4. *Cùm reus contendendum putat, initiò exceptiones opponit, uel declinatorias fori uel dilatorias: ſequuntur replicationes, duplicationes.*

5. *Cùm reus tandem reſpondere iuſſus eſt, utrinque à partibus ſatiſdatur ſe uſque ad finem in lite permanſuros.*

6. *Reus litem conteſtatur, affirmando aut negando intentionem libelli actoris.*

7. *Poſt litem cõteſtatã partes utrinque iuſiurandũ calumniæ præſtant.*

8. *Actor petitionẽ ſuam articulis comprehenſam (qui poſitionales appellantur) medio iureiurando offert. His reus medio itidem iureiurando, per uerbum Credit, aut non credit, reſpondet: & defenſionales articulos incontinenti, uel ex interuallo, reſponſionibus adiunget.*

9. *Actori terminus cõſtituitur ad articulos per reũ negatos*

tos probandũ teſtibus uel inſtrumentis. Reus autem interrogatoria addere poteſt ſingulis articulis actoris, de quibus teſtes ſimul audiantur: & reus citatur ad examen teſtium, ut uideat iurare teſtes Deinde publicantur atteſtationes utraq; parte præſente, uel in contumaciam abſentis: & terminus ad excipiendũ cõtra atteſtationes & replicandũ denuò datur.
10. His peractis, concluditur in cauſa. Atq; hæc de terminis iudicialibus ante ſententiam.

Quid eſt Sententia?

Eſt nihil aliud quàm pronunciatio iudicis.

Quottuplex eſt?

Duplex: Interlocutoria & Definitiua.

Quid eſt Interlocutoria?

Eſt pronunciatio iudicis, qua aditus ad principalis cauſæ cognitionem paratur: idq; duobus modis. Iudex enim aut ſimpliciter aliquid imperat litigantibus: aut remoras exceptionum aufert, ut ad deciſionem principalis cauſæ ſine obſtaculis peruenire poſsit.

Quid eſt Definitiua?

Eſt pronunciatio iudicis, quæ imponit finem controuerſiæ principali, quod fit uel condemnatione, uel abſolutione. Atque hæc de prima inſtantia: ſequitur Appellatio, unde oritur ſecunda inſtantia.

Quid eſt Appellatio?

Eſt ſuſpenſio iuriſdictionis inferioris iudicis per imploratione̅ ſuperioris. Nã ſi ſentẽtia iniqua condẽnato uidetur, appellare ab interlocutoria p̃ ſcriptũ poteſt: à definitiua uerò uel uiua uoce, uel ex interuallo decẽ dierũ in ſcriptis. Cui appellationi ſi iudex defert, Apoſtolos ad ſuperiorẽ iudicem appellãti impertit Si intra illud tẽpus nõ appellatur, ſentẽtia in rẽ iudicatã trãſit, & petẽte parte pro qua pronunciatũ eſt, à iudice

à iudice ordinario executioni ſine mora mandari debet. Quod ſi reus peremptoriè citatus non compareat, iudex actorem mittit in bona rei ex primo & ſecundo decreto: in illo pignus, in hoc poſſeſsionem permittens. Si uerò reus poſt litem conteſtatam cõtumaciter emanet: poteſt iudex de cauſa cognoſcere & pronunciare. Atque hæc de proceſſu iudiciario.

Quid eſt ius Ciuile?

Quod quiſq; populus aut ciuitas ſibi cõſtituit: quod ideò etiam poſitiuum dicitur.

Quot ſunt eius ſpecies?

Duæ. Eſt enim ſcriptum aut non ſcriptum: illud lex generaliter, hoc conſuetudo dicitur.

Quot ſunt ſubiecta iuris ciuilis?

Tria: Perſonæ, Res, Actiones.

DE PERSONIS.

Quomodo diuiduntur Perſonæ?

In ſeruos & liberos: & liberi rurſus ſunt aut alieni iuris aut ſui.

Quínam ſunt alieni iuris?

Qui ſunt in poteſtate patria.

Quot cauſis acquiritur patria poteſtas?

Tribus: Nuptijs, Legitimatione & Adoptione.

Quid ſunt Nuptiæ?

Nuptiæ ſiue matrimonium eſt uiri & mulieris coniunctio, indiuiduam uitæ conſuetudinem continens. Contrahuntur autem conſenſu: & impediuntur cognatione, affinitate & publica honeſtate.

Quid eſt Legitimatio?

Eſt actus ciuilis, quo qui naturales ſunt, efficiuntur legitimi

timi, ut uel reſcripto principis, comitisúe palatini, uel teſtamento.

Quid eſt Adoptio?

Eſt actus ciuilis, quo qui filius non eſt, pro filio habetur ciuiliter, ut ſcilicet familiam & hæreditatem cernat.

Quot ſunt cauſæ amittendi patriam poteſtatem?

Quinq;: Mors, dignitas ſumma, captiuitas, emancipatio, adoptio. Atq; hactenus de perſonis alieni iuris.

Qúænam eſt differentia perſonarum ſui iuris?

Quædam ſunt in tutela, quædam in cura.

Quid eſt Tutela?

Eſt poteſtas iuris ciuilis ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit.

Quottuplex eſt?

Triplex: Teſtamentaria, Legitima, Datiua.

Quid eſt Teſtamentaria?

Quæ datur à parentibus, liberis impuberibus, in poteſtate conſtitutis.

Quid eſt Legitima?

Quæ à lege defertur: ut agnatis, patronis, parentibus, fratribus.

Quid eſt Datiua?

Quæ datur à magiſtratu, cùm teſtamentarius, aut legitimus tutor nullus eſt.

In quibus rebus opus eſt autoritate tutorum?

In negotijs è quibus mutua obligatio oritur: in reliquis ſuam conditionem pupillus meliorem facere poteſt etiam

ſine tutoris autoritate exceptis ſucceſsionibus, quæ plerunq; controuerſijs ſunt implicitæ.

Quomodo amittitur tutela?

Pubertate: tum enim incipit cura.

Quid eſt Cura?

Eſt poteſtas iuris ciuilis ad tuendas res puberis minoris. Maſculi enim puberes & fœmellæ uiripotentes, ad 25 annum completum curatores accipiunt. Dantur tamen etiam impuberibus, ſi tutor nō ſit idoneus, non tamen fraudulentus: aut ex certo tempore datus, aut impeditus ſit. Atque hæc in ſpecie de Tutoribus & Curatoribus: ſequuntur 4 membra utriſq; communia, ut Satiſdatio, Actio, Excuſatio, Accuſatio ſuſpecti.

Quid eſt Satiſdatio tutorum & curatorum?

Eſt ſolennis ſtipulatio, qua tutores & curatores rem pupillis, uel adultis finita tutela aut cura, ſaluam fore ita caueant, ut datis hoc nomine fideiuſſoribus ſecuri fiant.

Quænam Actiones dantur hîc?

Tres: 1 Actio tutelæ contra tutorem. 2 Actio negotiorum geſtorum contra curatorem. 3 Actio ſubſidiaria contra magiſtratum.

Quid eſt Excuſatio?

Eſt allegatio cauſarum à tutoribus & curatoribus facta ad ſubterfugiendam tutelam, aut curam.

Quid eſt Accuſatio ſuſpecti?

Eſt accuſatio quaſi publica, qua ex lege XII. tabb. permittitur cuiuis de populo poſtulare tutorem ſuſpectum, uel ob dolum, uel ob denegata alimenta, uel ob mores. Conuictus autem fraudis, remouetur & fit infamis. Atque hæc de Perſonis: ſequitur de Rebus.

DE REBVS.

Quot ſunt conſideranda in Rebus?

Duo: Dominium: & Obligatio.

Quid conſiderandum eſt in Dominio?

Acquiſitio: cuius uariæ ſunt cauſæ pro uarijs rebus.

Quænam igitur eſt rerum diuiſio?

Res quædam ſunt extra commercium ſeu patrimonium noſtrum: quædam ſunt in patrimonio noſtro. Extra cõmercium ſunt iuris humani uel diuini.

Quænam ſunt iuris humani?

I. Cõmunes, ut aër, aqua profluens, mare, eiusq́ littora. II. Publicæ, ut flumina, portus, ripæ. III. Vniuerſitatis, ut in ciuitatibus theatra, ſtadia, balnea, porticus.

Quænam ſunt diuini iuris?

I. Res ſacræ, quæ Deo ritè per pontifices cõſecratæ ſunt: ut templa, donaria. II. Religioſæ, ut monumenta. III. Sanctæ, quæ pœna capitis ſancitæ ſunt: ut muri & portæ ciuitatis.

Quænam res ſunt in noſtro patrimonio?

Quæ ſingulorũ ſunt & quarũ dominium acquiri poteſt.

Quomodo acquiruntur res?

Singulariter aut uniuerſaliter. Cauſa acquirendi ſingulariter ſunt ius gentium & ciuile.

Quotuplices ſunt res quæ acquiruntur iure gentium?

Duplices: Corporeæ & Incorporeæ.

Quænam ſunt corporales?

Quæ tangi poſſunt: ut fundus, ueſtis, aurum.

Quot titulis acquiruntur illæ?

Quatuor: Occupatione, Acceſſione, Inuentione, Traditione.

Quid eſt Occupatio?

Eſt primus & antiquiſsimus acquirendi dominij modus ſeu titulus: qui uerſatur aut circa animalium uenatum, aucupium, piſcationemq́, aut circa hoſtes, aut circa lapillorum inuentionem.

Quottuplex eſt Acceſſio?

Duplex: Simplex aut Mixta. Simplex eſt naturalis, aut artificialis. Naturalis rurſus, aut diſcreta, aut concreta.

Qúænam ſunt diſcretæ acceſſionis?

Fœtura animalium & inſula fluuiatica.

Qúænam eſt acceſſio concreta?

Alluuio, quæ eſt incrementum latens.

Quótnam ſunt artificiales acceſſiones?

Septem Specificatio, Textura uel ſutura, Commixtio ſeu confuſio, Aedificatio, Plantatio ſeu inſitio, Satio ſeu ſeminatio, Scriptura.

Qúænam eſt mixta acceſſio?

Eſt in fructibus naturalibus & induſtrialibus.

Quomodo acquirimus inuentione?

Per theſauri inuentionem.

Quid eſt traditio?

Eſt cauſa acquirendi, qua res transfertur ex uoluntate tradentis: eſtq́ uera, qua res corporalis mobilis de manu in manum transfertur: aut ficta, quæ non fit de manu in manum in perſonam uel certam ut per patientiam, ſymbolum, inueſtituram: uel incertam, ut per iactum miſsilium & cùm quis quid pro derelicto habet. Atque hactenus de rebus corporeis acquirendis.

Quid

Quid eſt res incorporea?

Quæ tangi non poteſt & in iure conſiſtit ut Seruitus.

Quid eſt Seruitus?

Eſt ius quod aut nobis, aut noſtris rebus in alterius rebus competit.

Quottuplex eſt?

Duplex: Realis aut Perſonalis.

Quid eſt Realis?

Quæ à re rei debetur: & prædialis etiam dicitur: quia ſine prædijs conſtitui realis ſeruitus nequit.

Quottuplex eſt Realis?

Duplex: Ruſtica & Vrbana.

Quid eſt Ruſtica?

Quæ prædijs ruſticis inhæret. Eſtq; duplex: Nominata, ut iter, actus, uia, aquæductus: uel Innominata ut aquæ hauſtus, ius paſcendi.

Quid eſt Vrbana?

Quæ ædificijs inhæret: ut ius tigni immittendi, ſtillicidium proijciendi.

Quomodo acquiruntur hæ reales ſeruitutes?

Pactionibus & teſtamentis.

Quid eſt ſeruitus perſonalis?

Quæ à re perſonæ debetur: ut uſusfructus, uſus, habitatio.

Quid eſt Vſusfructus?

Eſt ius utendi fruendi alienis rebus, ſalua rerum ſubſtantia & acquiritur teſtamento & pactis: finitur autem morte uſufructuarij, &c.

Quid eſt Vſus?

Eſt ius alienis rebus utendi tantum.

Quid eſt Habitatio?

Eſt ius in alienis ædibus habitandi. Atque hactenus de modis acquirendi de iure gentium: nunc quomodo acquiritur iure ciuili per Vſucapionem & Donationem.

Quid eſt Vſucapio?

Eſt acquiſitio dominij per poſſeſsionis legitimam continuationem.

Quænam requiruntur in Vſucapione?

Bona fides, iuſtus titulus, diutina poſſeſsio, res ſine uitio.

Quottuplex eſt Vſucapio?

Duplex: Priuata & Publica: illa rurſus eſt duplex, Vſucapio & Præſcriptio.

Quid eſt Vſucapio?

Qua res mobiles per triennium acquiruntur.

Quid eſt Præſcriptio?

Qua res immobiles per longi temporis poſſeſsionem acquiruntur: inter præſentes decẽnio: inter abſentes 20 annis.

Quid eſt Vſucapio publica?

Qua fiſcus uel ærarium res alienas per quadriennium præſcribit.

Quid eſt Donatio?

Eſt promiſsio aut traditio alicuius rei ea mente facta ut accipientis fiat & exerceatur liberalitas.

Quottuplex eſt?

Duplex: Mortis cauſa, aut inter uiuos.

Quid eſt donatio mortis cauſa?

Cùm quis mortalitatis cogitatione donat.

Quid eſt donatio inter uiuos?

Cùm quis ſine mortis cogitatione donat: eſtq́ue uel ſimplex, uel propter nuptias.

Quando eſt perfecta ſimplex donatio?

Cùm de donantis uoluntate conſtat, eáq; ſi excedit D aureos debet inſinuari: & reuocatur propter ingratitudinem.

Quid eſt donatio propter nuptias?

Eſt munus quod à ſponſo uel marito, uel alio eorũ nomine uxori in gratiam dotis uiciſſim datur. Atq; hactenus de modis acquirendi res ſingulariter: nunc de modis acquirendi uniuerſaliter.

Quot modis acquiruntur res uniuerſales?

Duobus: Succeſſione & Arrogatione. Succeſſio eſt Ciuilis, aut prætoria: Illa hæreditas, hæc bonorum poſſeſſio dicitur.

Quid eſt hæreditas?

Eſt ſucceſſio in uniuerſum ius quod defunctus habuit tempore mortis.

Quottuplex eſt hæreditas?

Duplex: Teſtamentaria, quæ datur ex teſtamento: & Legitima quæ datur ab inteſtato.

Quid eſt Teſtamentum?

Eſt uoluntatis noſtræ iuſta ſentẽtia de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri uelit.

Quottuplex eſt?

Duplex: Teſtamentum uerum, & quaſi teſtamentum ſeu Codicillus: illud eſt uel paganicum, uel militare.

Quid eſt Paganicum?

Quod à paganis extra militiam fit: eſtq; ſcriptum, aut nuncupatiuum.

Quid eſt ſcriptum?

Quo hæredis nomen ſcribitur, quod'que ſeptem teſtium præſentium ſubſcriptionibus & ſignaculis uno contextu celebratum eſt.

Quid eſt nuncupatiuum?

Quo hæredis nomen nuncupatur, ſeptem teſtibus præſentibus.

Quid eſt teſtamentum militare?

Quod à militibus in caſtris fit. Eſt'que priuilegiatum teſtamentum. Nam ſupradicta diligens obſeruatio militibus (propter imperitiam eorum) remiſſa eſt.

Quot conſiderantur in iure teſtamentorum?

Tria: Perſonæ, Infirmatio, Res.

Quǽnam perſonæ ſunt præcipuæ in Teſtamentis?

Teſtator & Hæredes. Teſtator eſt qui teſtamentum facit. & hæredes inſtituit: quod prohibitum eſt illis qui habent aliquod uitium animi ut impuberes, furioſi, prodigi: uel corporis, ut ſurdus, mutus, cæcus.

Quottuplices ſunt Hæredes?

Duplices: Sui & Extranei. Sui ſunt qui in poteſtate teſtatoris ſunt.

Quottuplex eſt Inſtitutio hæredum?

Duplex: Vna propriè Inſtitutio dicitur, altera, Subſtitutio.

Quid eſt Inſtitutio?

Eſt hæredis deſignatio, primo gradu facta. Erbſatzung.

Quid

Quid eſt Subſtitutio?

Eſt inſtitutio hæredis, ſecundo uel ulteriore gradu facta. Affter erbſatzung.

Quottuplex eſt Subſtitutio?

Duplex: Directa & Obliqua ſeu fideicommiſſaria.

Quid eſt directa ſubſtitutio?

Per quam ſubſtitutus directò & ſine miniſterio alterius hæreditatem teſtatoris capit: eſtq; Vulgaris aut Pupillaris.

Quid eſt Vulgaris ſubſtitutio?

Quæ à quolibet cuilibet capaci uerbis apertis & uulgaribus directò in caſum nō acquiſitæ hæreditatis fieri poteſt. Vt ſi Titius hæres non erit, Seius hæres eſto.

Quid eſt Pupillaris?

Cùm pater liberis ſubſtituit: eſtq; Vetus, aut Iuſtinianea.

Quid eſt Vetus?

Cùm pater liberis impuberibus ſubſtituit in caſum acquiſitæ hæreditatis & mortis intra tempora pubertatis. Eaq; euaneſcit pubertate.

Quid eſt Iuſtinianea?

Eſt ſubſtitutio à Iuſtiniano introducta, qua pater ſubſtituit liberis furioſis. Quæ etiam Exemplaris dicitur: quia ad exemplum pupillaris introducta eſt: & dicitur etiam quaſi pupillaris. Expirat autem, ſi liberi reſipuerint.

Quid eſt Obliqua ſeu fideicommiſſaria?

Per quam ſubſtitutus hæreditatem ex manu alterius & ſic uia obliqua capit. Vt Titius hæres eſto: rogo te Titi ut reſtituas hæreditatem Seio. Atq; hæc de ſuis hæredibus.

Quínam ſunt extranei?

Qui teſtatoris iuri ſubiecti non ſunt: hiq; habent duplex beneficium, Vnum deliberandi, alterum inuentarij.

Quid eſt beneficium deliberandi?

Eſt poteſtas hæredibus data de adeunda intra annum hæreditate.

Quid eſt Inuentarium?

Eſt deſcriptio bonorum defuncti, citatis quorum intereſt: cuius beneficium eſt quòd hæres in tantum tenetur, quantum bona defuncti ualent. Atq; hæc de Perſonis: ſequitur Infirmatio.

Quot modis infirmantur teſtamenta?

Quatuor modis: Agnatione ſui hæredis, Posteriore teſtamento perfecto, Capitis diminutione, Per querelam inofficioſi.

Quid eſt querela inofficioſi?

Eſt ſubſidiarium remedium quo petitur à iudice, ut teſtamentum quaſi contra pietatis officium ſcriptum, ex ſuo officio reſcindat. Datur autem liberis, & parentibus: fratribus uerò, ſororibusq́; ſi turpes perſonæ ſcriptæ ſunt.

Quomodo relinquuntur res in teſtamento?

Directò uel obliquè: directò relinquuntur res uel uniuerſa (ut tota hæreditas de qua hactenus) uel ſingulares, ut Legata.

Quid eſt Legatum?

Eſt donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præſtanda.

Quǽnam actiones dantur pro legatis?

Tres: Perſonalis ex teſtamento, In rem, Hypothecaria.

Quæ res poſſunt legari?

Res propria & aliena, obligata, futura, debita, dos, corpus totum, peculium, res incorporeæ, facta, genus, optio.

Quid

Quid eſt lex Falcidia?

Eſt ius quo modus legatis impoſitus eſt, ut non liceat ultra dodrantem id eſt, 9 uncias totorum bonorum legare.

Quid eſt Fideicommiſſum?

Eſt ius quo teſtatori obliquè per intermediam perſonam ſuccedimus.

Quottuplex eſt?

Duplex: Vniuerſale aut Singulare: Illud quo res uniuerſæ: hoc, quo res ſingulæ relinquuntur.

Quid eſt Codicillus?

Eſt ſcriptura minus ſolennis, qua hæreditas neque dari, neq; adimi directò poteſt. Requirit autem 5 teſtes. Atq; hæc de teſtamentaria hæreditate: ſequitur legitima.

Quid eſt Legitima hæreditas?

Quàm lex XII. tabularum aut S.C. aliquod ab inteſtato defert.

Quot ſunt gradus ſucceſſionis ab inteſtato?

Quinq;.

Quis eſt primus gradus?

Eſt deſcendentium ſeu ſuorum: ut filiorum, & filiarum, nepotum: & neptum: illorum in capita: horum in ſtirpes.

Quis eſt ſecundus gradus?

Eſt aſcendentium ut parentum primi & ulterioris gradus: turbato mortalitatis ordine. Vnde uulgatum illud: Ordine turbato ſuccedis Bulgare nato.

Quis eſt tertius gradus?

Eſt collateraliũ ſeu tranſuerſaliũ: ut fratrum & filiorũ fratrũ: illorũ in capita: horũ in ſtirpes: niſi ſint ſoli: tum enim in capita ſuccedunt. Fratribus autẽ & fratrum filijs nõ exiſtentibus: tum demum regulæ locũ habẽt: Proximior excludit remotiorem: & qui ſunt in pari gradu, ſuccedãt pariter.

Quis

Quis eſt quartus gradus?

Eſt coniugum: cùm neq; liberi, neq; parentes, neque cognati extant.

Quis eſt quintus gradus?

Eſt Fiſci. Nam prædictis omnibus deficientibus bona cenſentur uacantia & cedũt fiſco. Atq; hactenus de ſucceſſionibus iuris ciuilis: nunc de prætorijs ſeu bonorum poſſeſſione.

Quid eſt bonorum poſſeſſio?

Eſt ius à prætore circa ſucceſſiones introductum, ad ius duodecim Tabb. dilatandum, emendandũ & confirmandũ.

Quottuplex eſt?

Duplex: Ordinaria & Extraordinaria. Ordinaria eſt ſtabilis iuris, eáq; datur uel à teſtato; ut ſecundum tabulas & contra tabulas: uel ab inteſtato: ut Vnde liberi, unde legitimi ſeu agnati, unde cognati, unde uir & uxor. Extraordinaria (quæ & ſeptima appellatur) eſt quæ datur ex lege.

Quódnam eſt tempus petendæ bonorum poſſeſſionis?

Liberis & parentibus annus: cæteris cognatis centũ dies. Atq; hactenus de modo acquirendi per ſucceſſionem: ſequitur per arrogationem.

Quid eſt acquiſitio per arrogationem?

Eſt acquiſitio qua arrogator uiuente arrogato acquirit uſumfructum in rebus aduentitijs arrogati. Mortuo autem eo etiam dominium.

DE OBLIGATIONIBVS.

Quid eſt Obligatio?

Eſt ius quo impoſita eſt neceſſitas alicuius rei ſoluendæ ſecundum noſtræ ciuitatis iura.

Quot

Quot ſunt ſpecies obligationis?

Duæ: Oritur enim ex contractu aut maleficio.

Quot ſunt ſpecies Contractus?

Duæ: Eſt enim Verus aut quaſi contractus. Contractus autem oritur aut ex re, aut è uerbis, aut è literis, aut è conſenſu.

Quot ſunt Species obligationis ex re?

Quinque: Mutuum, Indebitum, Commodatum, Depoſitum, Pignus.

Quid eſt Mutuum?

Eſt contractus, quo ex meo tuum fit, ita ut res quæ pondere, numero, menſura conſtat, non eadem, ſed eiuſdem naturæ & qualitatis reddatur. Pro eo datur condictio certi.

Quid eſt Indebitum?

Eſt obligatio ex re, qua obſtringitur is qui non debitum accepit ab eo qui per errorem ſoluit. Pro eo datur condictio indebiti.

Quid eſt Commodatum?

Eſt contractus. quo is cui res gratuitò utenda datur, adſtringitur ad eandem ipſam rem reſtituendam. Pro ea competit actio commodati.

Quid eſt Depoſitum?

Eſt contractus, quo res apud aliquem deponitur cuſtodiæ cauſa. Pro ea datur actio depoſiti.

Quid eſt Pignus?

Eſt cõtractus quo res ita creditori obligatur, ut is in credito eo nomine ſecurior ſit. Pro eo datur actio pignoratitia.

Quid eſt uerborum obligatio?

Eſt contractus qui oritur ex interrogatione & reſponſione: eſtq; uel principalis, ut Stipulatio: uel acceſſoria, ut Fideiuſſio.

Quid eſt Stipulatio?

Eſt uerborum conceptio, qua is qui interrogatur, daturum, facturumúe ſe quod interrogatus eſt, reſpondet.

Quænam actiones oriuntur ex ſtipulatione?

Condictio certi, ſi certa eſt ſtipulatio: ſecus datur actio ex ſtipulatu ad intereſſe.

Quid eſt Fideiuſſio?

Eſt uerborum conceptio, qua quis id quod interrogatus eſt, alium daturum, aut facturum promittit.

Quot ſunt beneficia fideiuſſorum?

Tria: Excuſsionis, Diuiſionis & Cedendarum actionũ.

Quid eſt beneficium excuſſionis?

Quo cauetur ne creditor fideiuſſorem conuenire poſsit, nõ excuſſo prius principali debitore: niſi is fuerit abſens aut non ſoluendo.

Quid eſt beneficium diuiſionis?

Quo diuidi actio permittitur, ita ut pro uirili tantũ parte unuſquiſq; fideiuſſorum conueniatur: id quod ex epiſtola D. Adriani introductum eſt.

Quid eſt beneficium cedendarum actionum?

Quo ſuccurritur fideiuſſori, ut ſtipulator cõpellatur ei qui ſolidum ſoluere paratus eſt, cedere cæterorum nomina.

Quænam datur actio fideiuſſori contra reum?

Mandati ad recuperandum ea, quæ ſoluit pro reo: idq; ſi præceſsit mandatum: ſecus datur actio negotiorum geſtorum.

Quid eſt Literarum obligatio?

Quæ fit per ſcripturã: quæ etiam chirographaria dicitur.

tur, cùm quis debere ſe ſyngrapha uel chirographo confeſſus fuerit, quod ſibi numeratum non eſt. Et hinc oritur actio & exceptio. Actio chirographaria ſeu condictio ex lege dicitur, qua obligatio repetitur. Exceptio dicitur non numeratæ pecuniæ, quæ ultra biennium non extenditur.

Quot ſunt obligationes ex conſenſu?

Quatuor: Emptio & uenditio, Locatio & conductio, Societas, Mandatum.

Quid eſt Emptio?

Eſt obligatio ex conſenſu de re certo precio in perpetuũ iure dominij acquirendo. Vnde actio ex empto & uendito.

Ad quem ſpectat periculum & commodum rei uenditæ?

Ad emptorem.

Quid eſt Locatio?

Eſt obligatio ex conſenſu de re, mercede certa facienda, uel ad tempus utenda. Nam ſi prædium perpetuò elocetur, non locatio, ſed Emphyteuſis eſt.

Quid eſt Emphyteuſis?

Eſt contractus iuris ciuilis, quo prædiũ perpetuò fruendum alicui traditur, ut quamdiu domino penſionem ſeu redditum canonemue pro eo præſtat, tamdiu neq; ipſi, neq; hæredi eius auferre id liceat.

Quid eſt Societas?

Eſt obligatio ex cõſenſu quæ de alicuius rei communione contrahitur. Eſt autem uel Vniuerſalis: id eſt, totorũ bonorum: uel Particularis: id eſt, unius alicuius negociationis aut rei. Diſſoluitur renunciatione, morte, fine negocij, publicatione, ceſsione bonorum Ex ea competit actio pro ſocio.

Quid eſt Mandatum?

Eſt obligatio ex conſenſu de negotio expediendo nulla

mercede

mercede conſtituta. Eius regula eſt, quòd fines mandati diligenter ſint cuſtodiendi. Diſſoluitur reuocatione, morte, renunciatione. Ex eo competit actio mandati.

Quænam obligationes oriuntur ex quaſi contractu?

Sex: Geſtio negotiorum, Adminiſtratio tutelæ, Communio rerum, Communio hæreditatis, Aditio hæreditatis, Solutio indebiti.

Quid eſt obligatio negociorum geſtorum?

Quæ inde oritur quòd quis negocia abſentis geſsit ſponte & ſine mandato. Vnde actio negotiorum geſtorum.

Quid eſt obligatio adminiſtratæ tutelæ?

Quæ inde oritur, quòd tutor rem pupilli geſsit. Vnde iudicium tutelæ.

Quid eſt obligatio ex communione rerum?

Quæ inde oritur quòd aliqui in communionem alicuius rei non ſponte, ſed caſu ſine ſocietate inciderunt. Vnde actio communi diuidundo.

Quid eſt obligatio ex communione hæreditatis?

Quæ inde oritur, quòd aliqui cohæredes ex teſtamento, uel ab inteſtato ſunt. Vnde his datur actio familiæ herciſcundæ.

Quid eſt obligatio ex aditione hæreditatis?

Quæ inde oritur, quòd ab hærede aliquid legatum eſt: is itaq; quamprimum adijt hæreditatē, tacitè legatarijs obligatur: conueniri'q́; poteſt per actionem ex teſtamento.

Quid

Quid eſt obligatio ex ſolutione indebiti?

Quæ inde oritur quòd quis ſoluit per errorem, quod nõ debebat. Vnde condictio indebiti.

Quot modis tollitur obligatio?

Quatuor: Solutione, Acceptilatione, Nouatione & Cõtraria uoluntate.

Quid eſt Solutio?

Eſt præſtatio eius quod debitum eſt.

Quid eſt Acceptilatio?

Eſt imaginaria ſolutio: eſtq; duplex, Vulgaris & Aquiliana. Vulgaris eſt quæ una ſtipulatione conſtat. Aquiliana quæ pluribus.

Quid eſt Nouatio?

Eſt prioris debiti in aliam obligationem transfuſio atq; translatio, eſtq; uel perſonæ uel rei. Nouatio perſonæ eſt alterius debitoris in ſuum locum ſubſtitutio. Nouatio rei eſt, cum eadem perſona manente, res noua in poſteriore ſtipulatione adijcitur, ut conditio, aut fideiuſſor.

Quænam obligationes ſoluuntur contraria uoluntate?

Quæ conſenſu contrahuntur. Atq; hactenus de obligationibus ex contractu: ſequuntur ex delicto.

Quottuplex eſt delictum?

Duplex: Verum & quaſi delictum.

Quot ſunt ſpecies ueri delicti?

Quatuor: Furtum, Rapina, Damnum, Iniuria.

Quid eſt Furtum?

Eſt contrectatio fraudulosa, lucrifaciendi gratia, uel ipſius rei, uel etiam uſus eius poſſeſſioniſue, quod lege naturali prohibitum eſt admittere.

Quottuplex eſt?

Duplex: Manifeſtum & nec manifeſtum.

Quid eſt fur manifeſtus?

Qui deprehenditur cum furto, quod nondum detulit ad eum locum ubi eo die cum furto manere deſtinauit.

Quid eſt non manifeſtus fur?

Qui rem detulit quò deſtinauit.

Quænam actiones dantur pro furto?

Odio furum plures ſunt introductæ actiones. Nam ad rem dantur Actio ad exhibendum, Rei uendicatio & Condictio furtiua: ad pœnam uerò datur actio furti.

Quid eſt Rapina?

Eſt furtum impudenter & ui factum. Ideóq; à Iuliano I.C. raptor improbus fur definitur. Vnde actio ui bonorum raptorum.

Quid eſt damnum iniuria datum?

Eſt damnum quod non iure fit in rebus tàm animatis quàm anima carentibus. Vnde actio legis Aquiliæ.

Quid eſt Iniuria?

Eſt contumelia quæ perſonæ alterius infertur: uel re, uel uerbis, uel literis, uel geſtibus.

Quot modis æſtimatur atrocitas iniuriæ?

Quatuor, ex facto, ex loco ſeu tempore, ex perſona, ex membro.

Quænam actio hinc datur?

Actio iniuriarum.

Quot ſunt ſpecies quaſi delicti?

Quatuor. I. Cùm iudex per imprudentiam malè ius dicat: tum enim litem ſuam facit. II. Cùm quis ex cenaculo aliquid deijciẽdo, aut effundẽdo alicui nocet. III. Cùm in fuga

in ſuggrunda, aut protecto circa publicum iter poſitum uel ſuſpenſum eſt aliquid cuius caſus nocere poſsit. IIII. Cùm furtum uel dolus committitur per illos quorum opera utimur. Ex his omnibus datur actio in factum. Atq; hactenus de perſonis & rebus: ſequuntur actiones.

DE ACTIONIBVS.

Quid eſt Actio?

Eſt ius perſequendi in iudicio quod ſibi debetur.

Quottuplex eſt Actio ſeu Perſecutio?

Duplex: Priuata ſeu Ciuilis, & Publica ſeu Criminalis.

Quot ſunt conſideranda in Ciuili actione?

Duo: Res de quibus litigatur, & Perſonæ.

De quibus rebus litigatur?

Aut de proprietate ſeu dominio: aut de poſſeſsione: ob illam actiones proditæ, ob hanc interdicta inuenta ſunt.

Quótnam ſunt differentiæ actionum?

Octo ſunt præcipuæ: Prima eſt quod omnis actio eſt, aut ciuilis, aut prætoria.

Secunda quòd aut eſt perſecutoria rei, aut pœnæ, aut mixta.

Tertia quòd aut in ſimplum, aut in duplum, aut in quadruplum.

Quarta quòd aut eſt bonæ fidei aut ſtricti iuris.

Quinta quòd aut eſt in ſolidum, aut in quãtum patiuntur facultates.

Sexta quòd aut ex noſtro contractu, delictoúe, aut ex alieno eſt.

Quot oriuntur ex alieno contractu?

Sex: Quod iuſſu, Exercitoria, Inſtitoria, Tributoria, De in rem uerſo, De peculio.

Quǽnam datur ex alieno delicto?

Noxalis & de pauperie.

Quǽnam eſt ſeptima differentia actionum?

Quòd alia eſt perpetua, alia temporalis.

Quǽnam octaua?

Quòd alia eſt tranſitoria ad hæredes, alia non. Atq; hactenus de Actionibus: ſequuntur interdicta.

Quid eſt Interdictum?

Eſt forma & conceptio uerborum, quibus prætor aliquid fieri iubebat, aut prohibebat cùm de poſſeſsione, aut quaſi poſſeſsione inter aliquos contendebatur. Dictum quia inter duos dicatur.

Quottuplex eſt interdictorum diuiſio?

Triplex: Nam primò alia ſunt prohibitoria, alia reſtitutoria, alia exhibitoria. Secundò alia ſunt poſſeſsionis adipiſcendæ, alia retinendæ, alia recuperandæ. Tertiò alia ſimplicia, alia duplicia. Atque hæc de rebus, nunc de perſonis quæ iudicium conſtituunt.

Quot perſonæ conſtituunt iudicium?

Tres: Iudex, Actor, Reus: ſeu duo litigatores, quorum nomine interueniunt procuratores.

Quot ſunt conſiderandà in litigatoribus?

Quatuor: In ius uocatio, Satiſdatio, Arma, Pœna temeritatis.

Quid eſt in ius uocatio?

Eſt principium inſtituendarum actionum, quo aduerſarius ad iudicem uocatur.

Quid

Quid eſt Satiſdatio?

Eſt cautio qua aduerſarium ſecurum facimus datis fideiuſſoribus.

Quǽnam ſunt arma litigatorum?

Actiones, Exceptiones, Replicationes, Duplicationes, Triplicationes.

Quot modis coërcetur temeritas litigatorum?

Tribus: Iureiurando calumniæ, Mulcta & Infamia.

Quódnam eſt officium iudicis?

Iudicare ſecundum leges ſcriptas, conſtitutiones imperatorum & conſuetudines: & in ſententia ferenda conſiderare cuiuſq; actionis naturam. Atq; hæc de iudicis ciuilibus.

Quid eſt iudicium publicum?

Quod ex legibus iudiciorum publicorum uenit.

Quottuplex eſt?

Duplex: Capitale & Non capitale.

Quid eſt Capitale?

Quod morte, uel quaſi morte plectit criminoſos.

Quid eſt non capitale?

Quod infamiam cum damno pecuniario irrogat.

FINIS.

DE MEDICINA.

Quid eſt Medicina?

Eſt ars benè medendi. Subiectum eius eſt morbus.

Quid eſt Morbus?

Eſt affectus corporis præter naturam, à quo primùm uitiatur actio.

Quot ſunt partes Medicinæ?

Duæ: παθολογικὴ & θεραπευτική.

ΠΑΘΟΛΟΓΙΚΗ.

Quid eſt παθολογική?

Eſt prior pars medicinæ de morbi ſpecie & cauſis: unde etiam αἰτιολογικὴ dicitur.

Quot ſunt conſideranda in Morbo?

Duo: Communes affectiones, & Species.

Quot ſunt communes affectiones Morbi?

Duo: Signa & Iudicium, σημεῖα καὶ κρίσις: unde σημειωτικὴ & κριτική: ad illam pertinent etiam ſymptomata.

Σημειωτική.

Quot ſunt ſigna morbi?

Duo: Vrina & Pulſus. Sunt & alia, ut uomitus, excrementa, ſudor, ſputum, ſanguis narium. Ratione excrementorum medici dicuntur σκατοφάγοι: dreckfreſſer.

Quid eſt Vrina?

Eſt ſuperfluitas ſanguinis in magna uena, delata per renes & uaſa urinaria in ueſicam.

Quot ſunt conſideranda in urinæ inſpectione?

Duo: Eſſentia ſeu materia & Adiuncta.

Quottuplex eſt eius ſubſtantia?

Duplex: Mediocris, quæ eſt optima: & præter hāc tenuis,

aut

aut craſſa: hæ imperfectam concoctionem indicant.

Quot ſunt eius adiuncta?

Duo: Quantitas & Qualitas.

Quottuplex eſt urinæ quantitas?

Duplex: aut enim multa eſt, aut pauca.

Quot ſunt cauſæ multæ urinæ?

Sex. I. Multus ciborum humidorũ uſus, & potus multus, maximè ſi uinum ſit aqueum.

II. Medicinæ diureticæ: id eſt, urinatoriæ.

III. Intemperies renum, ut in διαβήτῃ.

IIII. Venter humidus.

V. Hydrops.

VI. Ceſſatio euacuationum.

Quot ſunt cauſæ paucæ urinæ?

Sex contrariæ. I. Siccitas ciborum, paucitas potus: & exercitium uehemens, & cætera quæ corpus deſiccare ſolent.

II. Medicina & cibi glutinoſi, qui meatus claudunt.

III. Imbecillitas excernentis facultatis in renibus.

IIII. Multa uentris exiccatio.

V. Febris uehementia.

VI. Humorum craſsities & tenacitas.

Quot ſunt qualitates urinæ adiunctæ?

Duæ: Color & Contenta.

Quínam ſunt colores urinæ?

Vrinæ ſubſtantia ſemper habet ſibi coniunctum peculiarem colorem.

Primò eſt albus, ſed poſtquam tincturam aliquam accepit, à cruditate ſecedens, fit ſubpallida: hinc pallida, poſtea ſubaurea & aurea: deinde ſubcrocea & crocea: ſequitur ſubrubea & rubea.

Quot ſunt Cauſæ mutati coloris urinæ?

Tres: Cibus, Potus, Colliquatio. Nam ſi cibus nõ eſt probè concoctus, aut in ſanguinem mutatus, aut colore infectus eſt: ſimilem reddit urinam. Si uerò aqua, aut uinum album hauritur, alba & aquoſa urina euadit: craſsior uerò & nigrior, ſi uinum craſſum & nigrum bibitur. Colliqueſcentibus autem humidis in corpore partibus (ut pinguedine & adipe) talis & urina apparet.

Quænam ſunt contenta urinæ?

Quæ in urinæ corpore conſiſtũt, & continentur, τὰ παρυφιςάμενα.

Quottuplicia ſunt?

Triplicia: Nam alia in fundo conſiſtunt, αἱ ὑποςάσεις: *alia in medio* ἐναιωρήματα: *alia in ſummo urinæ, ut nubes.*

Quot ſunt in his conſideranda?

Tria: Subſtãtia, Color, & Quantitas. Atq; hæc de urina.

Quid eſt Pulſus?

Eſt motus cordis & arteriarum, qui eleuando ſeq; extollendo, contrahendo & conſidendo fieri ſolet. Pulſum explorant medici miſſa manu in carpum.

Quot ſunt motus Pulſus?

Duo: Διαςολὴ, *qua aër attrahitur, qui robur uitale (unde ſpiritus uitalis gignitur) excitat: &* συςολὴ *qua fumida ſuperfluitas expellitur.*

Quot ſunt genera pulſuum?

Varia: Eſt citus & tardus: latus & longus: uehemens & debilis: durus & mollis: plenus & uacuus: calidus & frigidus, creber & rarus.

ΚΡΙΤΙΚΗ.

Quid eſt Criſis?

Eſt uelox & uehemens motus ad ſanitatem, aut ad mortem.

um. Eſt autem bona conuerſio cùm ægroto aliqua euacuatio contingit per uomitum, ſputum, ſanguinis è naribus profluuium, uentris exonerationem, hæmorrhoides, menſes & abſceſſus, urinam, ſordes, perſpirationem.

Quot ſunt tempora morbi?

Quatuor: Initium, incrementum, uigor & declinatio. Huc pertinent dies κριτικοὶ decretorij: ut 7. 14. 21. 28.

MORBI SPECIES.

Poſt communes morbi affectiones, ueniendum eſt ad ſpecies & ad ſingularum ſpecierum cauſas & ſymptomata. Medici enim eſt, ante morbi curationẽ, cauſas ipſius & ſymptomata penitùs intueri, ut de remedijs contrarijs ſpes amplior animo capiatur.

Quottuplex igitur eſt morbus?

Duplex: Aut enim eſt ex intemperie, aut ex mala conformatione, cuius ſpecies eſt continui ſolutio.

Quottuplex eſt intemperies?

Quadruplex: Calida, Frigida, Humida, Sicca.

Quottuplex eſt intemperies calida?

Duplex: Simplex, aut Compoſita. Simplex rurſus, uel uniuerſalis, uel particularis.

Quænam eſt uniuerſalis intemperies calida?

Eſt inflammatio ſine materia, Græcis φλόγωσις.

Quænam eſt particularis?

Eſt in lumbis è regione renum, in uolis manuũ, plantis pedum, uentriculo facie, ſyncipite, epate, utero.

Quid eſt intemperies calida compoſita?

Eſt intemperies quæ habet iunctam ſiccitatem, in corde

primum locata: & dicitur Febris: quam uel humor, cordis ſinibus ſubiectus, partibusq́ uicinis contentus fouet, & auget: uel uapor, halitus, ſpiritus aliquis, qui uel perpetuò, uel per interualla conflagret: uel propria cordis ſubſtantia penitùs continet: quæ tertia ſpecies dicitur hectica.

Quid eſt Febris?

Eſt immoderatus calor præter naturam in corde exiſtens.

Quottuplex eſt Febris?

Duplex: Vna communis omnibus: ut Peſtis. Altera ijs propria qui mala uiuendi conſuetudine utuntur, ut Febris propriè dicta.

Quot ſunt conſideranda in Febri propriè dicta?

Duo: Cauſæ (ex quibus etiam ſumuntur Species.) & Symptomata.

Febris cauſa eſt cordis uel
- *Subſtantia: unde Hectica.*
- *Adiunctus*
  - *Spiritus ſeu uapor: unde Diaria.*
  - *Humor: unde Synochus ſeu continens febris.*

Quænam ſunt cauſæ febrium?

Cauſæ febrium ſunt Cordis, aut ſubſtantia, aut adiunctus ſpiritus, uel humor. Vnde tres ſpecies, Hectica, Diaria, Synochus.

Quid eſt Hectica?

Eſt febris, quæ in cordis ſubſtantia ſedem fixit, & totum corpus occupat. ἑκτικὴ dicta ab habitu: quia ſtabilis eſt, & ſolutu difficilis. Eius tertius gradus eſt Maraſmus.

Quid

Quì d eſt Diatia?

Eſt unius diei febris è cordis ſpiritu calefacto nata. Hæc poſt hecticam ſimpliciſsima eſt, à breui duratione ἐφήμερος, diaria dicta. Nam ut plurimum eo quo incepit die, penitùs ceſſat, rarò ad ſecundum, aut tertium durat.

Quid eſt Synochus?

Eſt febris continens, in humoribus (ut ſanguine, aut bile) conſiſtens: & inſtar Euripi ſubinde recurrens.

- *Synochus ex inflammatione*
  - *Sanguinis: Synochus non putris.*
  - *Bilis: Synochus putris & humoralis*
    - *Simplex*
      - *Continua.*
      - *Interpolata.*
    - *Compoſita.*

Quottuplex eſt Synochus?

Duplex: Non putris & putris.

Quid eſt ſynochus non putris?

Eſt ex ſanguine inflammato, cuius pars tenuiſsima flagrat, qui ſpiritus dicitur.

Quid eſt ſynochus putris?

Eſt humorum inflammatio, unde humoralis dicitur & bilioſa.

Quottuplex eſt febris humoralis?

Duplex: Simplex aut Compoſita: & illa rurſus, uel continua συνεχὴς, uel interpolata ſeu remittens.

Febris

- *Febris*
  - *Cōtinua in uaſis maioribus ex bile copioſa*
    - *Flaua*
      - *Craſſa & retorrida:* καῦσος.
      - *Tenui & liquidiore*
        - *Mobiliore: Tertiana.*
        - *Tardiore: Quartana.*
    - *Pallida: Quotidiana.*
  - *Interpolata in uenis minorib. ex bile pauca & tenui.*

Quid eſt febris continua?

Cùm materia in corde & uicinis partibus coaceruata, copioſior, uiſcidior, craſſiorq́; eſt.

Quottuplex eſt continua?

Quadruplex, καῦσος, *tertiana, quartana, quotidiana.*

Quid eſt καῦσος?

Eſt febris cæterarum longè omnium flagrantiſsima: unde & febris ardens dicitur, quæ alternis diebus exacerbationem habet manifeſtam. Hæc cauſam habet ex bile craſsiore & retorrida.

Quid eſt tertiana?

Quæ tertio quoq; die habet exacerbationem longè manifeſtiſsimam, idq́; propter bilem flauam tenuiorem, liquidiorem & mobiliorem, quæ ad incendij locum alternis diebus ſeſe præcipitans, facilè conflagrat, & flammam inſigniorem facit.

Quid eſt quartana?

Quæ biduo remiſsior, quarto quoq; die exacerbatur: idq́; propter parciorem bilem ad nouos paroxyſmos, ſeu acceſsiones ſuccreſcentem. Hæc eſt omnium rariſsima. De hac ueteres dixerunt.

Hydrops,

Hydrops, quartana: medicorum ſcandala plana.

Quid eſt quotidiana?

Quæ habet quotidianas exacerbationes. Eſtq; ex bile pallida ſeu phlegmate ſalſo, pueris & mulieribus admodum familiaris.

Quorſum p[illegible] febris peſtilens?

Ad continuas.

Quænam dicuntur interpolatæ?

Cùm materia in corde & uicinis partibus coaceruata, eſt parcior & tenuior. Suntq; iidem, uel tertianæ, uel quartanæ, uel quotidianæ: eæq; omnes, uel exquiſitæ ſeu legitimæ, γνήσιοι, ἀκριβεῖς: uel nothæ, & ſpuriæ.

Quid eſt compoſita febris?

Quando uel eædem, uel differētes genere, aut ſpecie inuicem concurrunt: eæq; uel horis diuerſis inuadunt, uel iiſdē.

Quænam ſunt febrium ſymptomata?

Aeſtus immodicus, laſſitudo & corporis contuſio, imbecillitas, iactatio, oppreſſio, dyſpnoea, tuſſis arida, lumborum dolor, cephalalgia, uigiliæ, aut ſopor, delirium, ſitis: linguæ ariditas, nigredo, aſperitas & fiſſuræ: lentor circa dentes, linguam, palatum, fauces: guſtus deprauatus, cibi faſtidium ſeu ἀνορεξία: ſæpè bulimia, ſeu ingens fames, nauſea, uomitus, alui aſtrictio, & quandoq; profluuium, ſingultus, lipothymia, ſyncope & icterus: præter quæ febres intermittentes plerunq; moleſtum habent frigus, horrorem uel rigorem, & ſudorem.

Quinam morbi ſunt ex mala conformatione?

Sunt in figura, numero quantitate, aut ſitu.

Quottuplex eſt ſolutio continui?

Multiplex. Eſt enim fractura in oſſe: uulnus in carnoſa parte:

parte: Ruptura in uenis: Conuulſio in neruis: Excoriatio in cute.

Quomodo diſtinguuntur morbi?

Ex ſubiectis locis corporis humani. Alij enim ſunt capitis, alij oculorum, alij aurium, alij narium, alij faciei, alij dentium, alij oris, alij pectoris, alij uentriculi, alij iecinoris, alij lienis, alij inteſtinorum, alij renum & ueſicæ, alij genitalium, alij articulorum & pedum.

Quínam ſunt morbi capitis?

Alopecia: id eſt, *capillorum profluuium. Dicta* ἀλωπεκία *à uulpe, cuius lotium loca effœta in annum reddit.*

Achores, ulcera capitis manantia, ἀχῶρες. *Porrigo, capitis cutis, furfuraceis ſquamulis fœda:* Der grind.

Sycoſis, σύκωσις, *ficus: eſt ulcus rotundum, acuminatũ, ſubdurum & ſubrubeum.*

Cephalalgia, κεφαλαλγία, *dolor capitis uehemens.*

Hemicrania, dolor uehemens in altera tantùm parte capitis, ἡμικρανία.

Vertigo, σκότωμα, *affectus quo circumagi in gyrum omnia uidentur:* Schwindel.

Ephialtes, incubus ἐφιάλτης, *corporis nocturna oppreſſio & ſuffocatio quædam:* Schrötle.

Epilepſia, ἐπιληψία: *morbus comitialis: ſacer morbus & Herculeus: eſt conuulſio totius corporis, certis temporibus rediens.* Sant Vâltins plag, hinfallende ſucht, frais.

Apoplexia, læſio cerebri, qua motus & ſenſus amittitur in totum. Der Schlag.

Paralyſis neruorum reſolutio, qua alterum tantûm latus hominis motum & ſenſum amittit.

Phre-

Phrenitis, φρενῖτις, phreneſis, eſt inflammatio meningum, ſeu membranarum, ſeu inuolucrorum cerebri, comitem ſemper febrim habens. Taubſucht. Iuuenalis: Cùm ſit manifeſta phreneſis.

Lethargus, λήθαργος, ueternus, morbus phrenitidi contrarius, in qua marcor eſt & inexpugnabilis probè dormiendi neceſsitas. Cùm hoc ferè conuenit κάρωσις, in qua profundus ſopor eſt. Die Schlaffſucht.

Melancholia eſt mentis alienatio ex atra bile nata, cum mœſtitia, metuq́; coniuncta.

Mania, μανία, melancholiæ ferè ſuccedit, ut ſoboles eius, ſed ſæuior. Truculento enim eſt aſpectu & præcipite impetu in obuios inuolat, ac proteruè calcibus & pugnis, mordicusq́, beluæ in modum ſæuit.

Lucianus in Abdicato: τῆς μανίας μυρία εἴδη ἐστὶν καὶ παμπόλλους ἔχει τὰς αἰτίας καὶ οὐδὲ τὰς προσηγορίας αὐτὰς ὁμοίας, οὐ γὰρ ταὐτὸν παρανοεῖν καὶ παραπαίειν καὶ λυττᾶν καὶ μεμηνέναι.

Lycanthropia, mentis alienatio, qua correpti in lupos ſe conuerſos imaginantur, ideoq́; hominum conſortia exoſi, in ſeceſſus & luſtra ſe abdunt.

Spaſmus, σπασμὸς, conuulſio.

Melancholici animi iudicium, morbo uitiatum, ſibi uidentur aliquando eſſe cornuti, aut naſo in longum prominenti, aut mortui, aut teſtacei, aut omninò ſine capite. Oderunt diſſentientes, amant eos qui per diſsimulationem ipſorum imaginationi aſſentantur. Proinde qui his mederi ſtudent, nonnunquam ſimulant ſeſe eodem teneri malo. Porrò contracta beneuolentia facilè perſuadent remedium, ac paulatim obrepentes, tandem eximunt falſam imaginationem.

Tetanus,

Tetanus, τέτανος, rigor, morbus quo ceruix immobilis fit: duplex eſt, ἐμπροσθότονος, emproſthotonus, cùm caput & mentum in pectus infigitur: & ὀπισθότονος, opiſthotonus cùm in ceruicem reflectitur.

Τρόμος, *tremor capitis.*

Κατάρρους, *Catarrhus, humoris ex capite deſtillatio ad ſubiectas partes, ut os & fauces.*

Quínam ſunt morbi oculorum?

Ὀφθαλμία, *ophthalmia, lippitudo.*

Nyctalopia, νυκταλωπία, oculorum morbus, quò quis interdiu uidet, noctu cæcutit. Talis dicitur luſcitioſus.

Amblyopia, ἀμβλυωπία, hebetudo uiſus.

Strabiſmus, στραβισμὸς obliquus aſpectus.

Quínam ſunt morbi aurium?

Otalgia, ὠταλγία, dolor aurium.

Surditas, κώφωσις.

Sibilus aurium, συριγμὸς: tinnitus aurium.

Quínam ſunt morbi narium?

Ozæna, ὄζαινα, ulcus narium profundum & putridum.

Polypus πολύπους, tuberculum narium: carnis excreſcentia in nare propendens. Vulgò noli me tangere.

Quínam ſunt faciei?

Φακὸς *lenticula, faciei macula à lentis ſimilitudine: Riſelen.*

Vari ἴονθοι, tumores duri & exiles cum pure exiguo.

Quínam dentium?

Odontalgia, dolor dentium. Odontagra forceps euellentis dentibus comparata. Olim in Apollinis Delphici templo oſtendebatur plumbeus dentiducus, μολύβδινος ὀδονταγωγὸς, quo ſignificabatur eos tantùm extrahendos eſſe dentes, qui ſint mobiles & eductu faciles.

Ὀδοντοφυΐα, dentitio puerorum. Das Zanen.

Παρουλὶς, tuberculum iuxta dentes è gingiuis ortum.

Quínam ſunt oris?

Aphthæ, ἄφθαι, ulcera pueris in ore naſcentia: tolluntur melle roſaceo.

Angina, συνάγχη, faucium inflammatio.

Tonſillæ, παρίσθμια, faucium inflammatio. Geſchwollene mandlen.

Columella, κίων, cùm uua longior ex deſtillatione dependet.

Vuula, σταφυλὴ: cùm uua increſcit in rotundum. Dicitur etiam γαργαρεὼν: id eſt, gurgulio. Das Zäpfflin. *Mediocriter tumentem uuam Celſus frigida aqua ore retenta ſatis reprimit, quæ ſubinde mutanda eſt: ſed efficacius fuerit Oxycratum ex aqua ciſternæ & aceto roſaceo. Vbi magna ex parte ceſſauit effluxio, Ioubertus piperis longi (quod calefaciendo & exiccando leuiter aſtringit) puluere ex cochleari, ſpatula uel gladio ſuppoſitis, columellam tangit. Olim ſpatula σταφυλάγρα ab uua tollenda uocata, cochlearis uſum præbuit.*

Quínam ſunt morbi pectoris?

Pleuritis, dolor lateris acutus & pungens, ex inflammatione membranæ interioris, quæ coſtas ſuccingit. Aiunt illi mederi ſuccum ex ſtercore equino expreſſum. Seitenwehe.

Peripneumonia, pulmonis exulceratio & inflammatio, quam ſpiritus difficultas cum malarum rubore ſequitur. Lungenſucht.

Αἱμοπτόησις, ſanguinis expuitio.

Phthiſis, φθίσις, tabes corporis.

Aſthma difficultas ſpiritus uehementior. Das Keichen. Hinc Aſthmaticus.

Dyſpnoea, δύσπνοια difficultas ſpiritus modica.

Παλμὸς, palpitatio cordis.

Quínam ſunt morbi uentriculi?

Cardialgia, καρδιαλγία, eſt roſio uel punctio in ore uentriculi.

Ἀνορεξία, faſtidium ſtomachi.

Bulimia, βουλιμία, Canina fames: inſatiabilis edendi auiditas.

Singultus, λυγμὸς, ſpaſmus & quaſi conuulſio uentriculi, conantis excutere ea quæ tunicis eius impacta ſunt.

Pica, κίττα, morbus grauidarum mulierum, quo appetunt, cretas, teſtas, carbones extinctos, &c. Dicta ab auis eius uel uerſicolore uarietate, uel inconſtantia.

Quínam ſunt morbi iecinoris & lienis?

Epatici, ἡπατικοὶ dicuntur quibus debile & infirmum iecur eſt.

Cachexia, malus corporis habitus.

Icterus eſt bilis in cutem per uniuerſum corpus ſuffuſio. Dicitur icterus ab aue galbula, cuius colorem refert. Dicitur & Regius morbus, quod in aulis regum molliter curetur ludis, laſciuiaq́ per quæ mens exhilaratur. Item arcuatus morbus à colore, arcus cœleſtis æmulo. Denique aurigo, propter auri colorem.

Hydrops, ὕδρωψ, aqua intercus: cuius tres ſpecies, τυμπανίτης, ἀσκίτης, ἀνασάρκα. Tympanites eſt inflatio uentris diſtenti & ad palmæ ictum inſtar tympani reſonantis. Aſcites

tes eſt inflatio uentris, qui percuſſus in morem utris reſonat. Anaſarca eſt hydrops toto corpore diffuſus.

Lienoſus, σπληνικός, *cui obſtructo liene atræ bilis excrementum induruit.*

Quinam ſunt morbi inteſtinorum?

Lienteria, λειεντερία, *leuitas inteſtinorum, qua cibus antequam concoctus ſit in uentriculo, celerrimè excernitur.* Die rhur.

Diarrhoea, διάῤῥοια, *copioſus alui fluxus ſine exulceratione & inflammatione.* Bauchfluſs.

Dyſenteria, δυσεντερία, *cruenta alui deiectio cũ inflammatione & exulceratione inteſtinorum & torminibus.* Rotſchaden, Rotruhr.

Tenaſmus, τεινεσμὸς *crebra & inanis deſidendi & excernendi cupiditas.*

Colicus dolor, κωλική. Grimmē. *Perperam* Die Mutter, *translatione ſumpta à matricis dolore.*

Lumbrici, ἕλμινθες. *Enecantur cornu ceruino raſo, uel abſinthio marino* (Wurmſamen) *in lacte hauſto, aut in pomo aſſumpto.*

Hæmorrhoides, αἱμοῤῥοΐδες, *ſanguinis profluuium per uenas ani.* Guldenadern.

Quinam ſunt renum & ueſicæ?

Nephritis, νεφρῖτις, *morbus renum quiuis, propriè uerò calculus in renibus. Hinc nephritici qui è renibus dolent.*

Lithiaſis, λιθίασις, *calculorum morbus in renibus, aut ueſica.*

Iſchuria, ſuppreſsio urinæ.

Stranguria, στραγγουρία, *urinæ ſtillicidium, cùm ſtillatim urina redditur; à* στρὰξ στραγγὸς *gutta &* οὖρον *lotium.*

Dyſuria, δυσουρία, urinæ difficultas cum cruciatu magno.

Diabetes, διαβήτης, urinæ profluuium.

Quínam morbus eſt genitalium?

Ramex, herina, κήλη. Der bruch. Hinc hernioſus.

Quínam ſunt morbi articulorum & pedum?

Arthritis, ἀρθρῖτις, morbus articulorum ex redundantia humorum, qui in articulos decumbunt. Nomen ſumit ex loco affecto, ut à pede podagra, à manu chiragra. Hinc Martialis:

Litigat & podagra Diodorus, Flacce, laborat:
Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra eſt.

Iſchias, ἰσχιὰς, dolor coxarum. Hinc Iſchiadicus.

Clauus, tuberculum in cute rotundum, calloſum, duræ radici affixum. Agerſtenaug.

Reduuia, παρωνυχία, cutis circa radices unguium fiſſura. Nagelſchwårung. Prouerbium de reduuia queri. Vbi quis prauo pudore, leuiſsimis malis quærit remedium, diſsimulans maiora. Hinc Cicero pro Roſcio Amerino: cùm capiti mederi debeas, reduuiam curas.

Quínam ſunt affectus & tumores corporis externi?

Cancer, καρκῖνος, καρκίνωμα, tumor in corpore è uenis impletis & extenſis ad modum cancri.

Elephantiaſis, eſt inæqualitas & aſperitas cutis, uelut ſquamis defœdatæ, corio elephanti non diſsimilis.

Lepra, ψῶρα, ſummæ cutis ſcabrities. Raud.

Impetigo, lichen, Zittermal.

Vitiligo, λεύκη.

Varioli, Kindtsblatern.

Apoſtema, ἀπόστημα, abſceſſus, Geſchwär: concurſus malorum humorum ad aliquam corporis partem.

Gangræna, γάγγραινα, ſerpens ulcus, Faulfleiſch.

Eriſypelas, ignita rubedo cum inflammatione, Die ſchöne.

Bubo. βουβὼν, peſtilens tumor.

Carbunculus, ſurunculus, δοθιὴν, ἄνθραξ, Blutgeſchwär.

Scirrhus, σκίρρος, durities.

Struma. χοιράδες, Kropff.

Intertrigo, παράτριμμα, attritus ex inceſſu, uel equitatione. Der Wolff.

Chironia & Telephia uulnera, quæ ſunt incurabilia.

ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΗ.

Quid eſt θεραπευτική?

Eſt ſecunda pars medicinæ de curandis morbis. Latinis Cura.

Quot ſunt conſideranda in cura?

Duo: Euacuatio & Medicamenta: Κένωσις & Φαρμακοποΐα.

Quottuplex eſt Euacuatio?

Duplex, ſicut & plenitudo. Vt enim plenitudo alia eſt laudabilis, quæ πληθῶρα dicitur, cùm quatuor humo-

res ex æquo adaugentur, aut etiam ſanguis ſolus: alia praui humoris, quæ κακοχυμία dicitur, quæ in toto corpore ulceroſam laſsitudinem, in partibus mollibus ulcera, in articulis arthritidis uarias ſpecies creat: ita Euacuatio alia eſt plethoræ, alia κακοχυμίας.

Quot ſunt euacuationes plethoræ?

Duæ: Tarda & Senſilis.

Quid eſt Tarda?

Eſt in inedia cum labore, eáq; pertinet ad διαιτητικὴν, quæ eſt in ſex rebus non naturalibus, ut ſunt aër, cibus & potus, motus & quies, euacuatio, affectus animi, ſomnus & uigilia.

Quottuplex eſt Senſilis?

Duplex: χειρουργικὴ & φαρμακευτική.

In quibus eſt χειρουργική?

In phlebotomia ſeu ſanguinis miſsione, (ut in ſaphena: id eſt, manifeſta uena ad malleolos: & ſaluatella in metacarpio inter minimum & annularem digitum) in ſcarificatione ſeu cucurbitulis, in hirudinibus.

In quibus eſt φαρμακευτική?

In medicamentis uenas uteri, uel hæmorrhoidas reſerãtibus, quæ αἱμαγωγὰ dicuntur.

Quottuplex eſt euacuatio κακοχυμίας?

Duplex: Vniuerſalis & Particularis.

Quot modis fit Vniuerſalis?

Quatuor: καθαρτικοῖς, ἐμετικοῖς, διουρητικοῖς, ὑδρωτικοῖς: id eſt, deiectorijs, uomitorijs, urinarijs & ſudoriferis.

Quænam

Quǽnam ſunt deiectoria?

Sunt laxatiua ſeu ſolutiua, ut electuaria, pilulæ ſeu catapotia, pulueres, catholica, quæ uniuerſalem κακοχυμίαν tollunt.

Quǽnam ſunt uomitoria?

Quæ conciliant uomitum, idq́ ſolo aquæ tepidæ hauſtu largiore Aeſopi exemplo: promptius uerò ſi oleum, butyrum aut alia pinguedo adijciatur.

Quǽnam ſunt diuretica?

Quæ urinas multum promouent, ut id quod aduerſus calculos paratur, λίθων τρίϐον.

Quǽnam ſunt ſudorifica?

Simplicia contra luem Hiſpanicam & affectus pituitoſos & melancholicos: ut radix Chinæ, & Sarſæ parillæ, buxus & lignum Guaiacum. Ex quibus fiunt decocta ſudorem largius prouocantia.

Quǽnam eſt particularis euacuatio κακοχυμίας?

Eſt quæ fit per purgationes topicas partium uel internarum uel externarum.

Quǽnam eſt internarum?

Eſt capitis, pulmonis, thoracis, uentriculi, alui, uteri. Caput purgatur ſternutatorijs & apophlegmatiſmis ſeu caputpurgijs: errhinis, maſticatorijs & gargariſmis. Pulmo & thorax bechicis expectorantibus. Ventriculus uomitorijs, aluus balanis & clyſteribus, uterus peſſis & iniectionibus.

Quǽnam ſunt ſternutatoria?

Elleborus uel euphorbium, quorum puluis parua quantitate naribus inſufflatur.

Quottuplices ſunt apophlegma-
tiſmi?

Triplices: Alij ad maſticandum, alij ad gargariſandum, alij ad continendum, aut illinendum palato.

Quænam ſunt errhina?

Quæ naribus illinuntur, uel inſpirando hauriuntur, atq; ita humores à cerebro eliciunt.

Quænam ſunt bechica ſeu expecto-
rantia?

Quæ pulmonis interioraq; thoracis expurgant, cuiuſmodi ſunt Looch barbaris, Græcè ἐκλίγματα, Latinè linctus.

Quid ſunt balani?

Sunt quæ ano induntur, ut craſsiora inteſtina exonerentur, ui eorum expultrice ſolicitata. Latinis glandes, uulgò ſuppoſitoria. Vſitatè fiunt ex melle percocto ad ſoliditatem, acriores euadunt addito ſale.

Quid ſunt clyſteres?

Sunt organa ano impoſita, quibus enemata cathartica ex electuarijs mollibus aſſumuntur, aut ex pilularum diſſolutarum materia.

Quid ſunt peſſi & iniectiones?

Sunt medicamenta utero expurgādo addicta. Iniectiones μητρεγχύται dicuntur Græcis.

Quomodo deplentur partes externæ à
κακοχυμία?

Per topica quædam διαφορητικὰ & alia acriora, quæ olim μετασυγκριτικὰ dicta ſunt, ut ſunt δρώπαξ, σιναπισμὸς, φοινιγμὸς, quod etiam ueſicatorium eſt. Hic addere
licet

licet καυτήρια & καυστικὰ medicamenta. Atque hactenus de euacuatione: in qua perpetuò uniuerſalis euacuatio particularem præcedere debet, ne aliunde in affectam ſedem humores noxij rapiantur.

DE MEDICAMENTIS.

Quottuplicia ſunt medicamenta?

Duplicia: Simplicia & Compoſita.

Quænam ſunt ſimplicia?

Sunt radices, cortices, folia, flores, fructus, grana ſeu ſemina, lachrymæ, ſucci, animalia & eorum excrementa & opera: marina, ſales, metallica.

Quottuplicia ſunt compoſita?

Duplicia: quædam enim ſunt aſſumenda, quædam admouenda foris, τοπικά. Methodus autem curandi ab aſſumendis initium ducit, ut antecedente cauſa prius remota, tandem ad illatæ noxæ correctionem ueniamus.

Quottuplicia ſunt aſſumenda?

Triplicia: Præparantia, Purgantia, Corroborantia.

I. Quænam ſunt præparantia?

Προπόματα, quibus materiæ inutiles maturantur, & digeruntur ad expulſionem: ut Syrupi & Conſerua ſeu condita.

Quid eſt Syrupus?

Eſt liquidior & potabilis ſuccorum, uel infuſionum ac

decoctionum conditura & uelut conſerua. Etenim ſaccaro uel melle condiuntur ad præſeruationem ut ſint durabiliores ſucci, infuſiones & decocta Dicitur ſyrupus uel à Græco ὀπὸς uel ab Arabico Rob: utrunque ſignificat ſuccum. Vocãtur & mella & oxymella, Latinis mulſum.

Quid eſt Conſerua?

Eſt conditura ſeu confectura ex nonnullis radicibus, caulibus, folijs, floribus & fructibus, aut eorum partibus: ut eſt conditura acori, Zingiberis, uiolæ, roſæ, ceraſorum, cydoniorum, nucum.

II. Quǽnam ſunt purgantia?

Καθαρτικὰ, *quæ præparatam à ſuperioribus materiam expellunt & educunt, Hippocrat. Aphoriſ. 21. lib. 1. Concocta medicari & mouere oportet, non cruda. Sunt autem duplicia, Vniuerſalia & particularia. Vniuerſalia ſunt electuaria & pilulæ.*

Quottuplicia ſunt electuaria?

Duplicia: liquida & ſolida.

Quǽnam ſunt liquida?

Sunt electuaria omnium ſimpliciſsima, ad cõſeruas proximè accedentia, adeò ut pulpæ fructuum conſeruæ dici queant. Eiuſmodi ſunt caſsia cum ſaccaro, aut melle: nec non diabruni confectio. Dicuntur autem & opiatæ.

Quǽnam ſunt ſolida?

Sunt tabellæ, forma rhomboidis: uulgo lozangiæ. Ex his eſt frequentiſsimum electuarium de ſucco roſarum.

Quid ſunt pilulæ?

Sunt quæ Græcis καταπότια dicuntur: & forma ea ut plurimum donantur ea quæ ingrati ſaporis & odoris ſunt.

ſunt. Earum baſis communis eſt aloë uel hiera piera.

Qúænam ſunt particularia?

Sunt arteriaca & ecligmata.

Qúænam ſunt arteriaca?

Sunt medicamenta ad ſiſtendas fluxiones in tracheam, pulmonem & alias thoracis partes, quæ pilularum quidem nomine donata ſunt, ſed purgandi uim non habent ut ſuperiora, cum quibus ſola figura & nuncupatione conueniunt. Hæc autem ſuperioribus ſubijciuntur: quia ab uniuerſali purgatione concitata fluxio, magis infeſtare ſolet.

Qúænam ſunt ecligmata?

Sunt alterius formæ arteriaca, quæ Latinis linctus, barbaris looch dicuntur: quorum uelut Opiatæ conſiſtentia eſſe debet.

III. Qúænam ſunt corroborantia?

Quæ ab uniuerſali & particulari purgatione, multoq́; magis ui morbi debilitatas uires inſtaurant: atque inſuper relictas in uiſceribus obſtructiones & intemperies curant & amouent. Item ſymptomata morbi (ut doloré, uigilias, alui fluxum, ſyncopen) tollunt. Talia ſunt: Confectiones cardiacæ ſeu opiatæ, Pulueres, Trochiſci.

Qúænam ſunt Confectiones opiatæ?

Quæ opio cóſtant, quibusq́; noxij uapores & tetræ qualitates ſuperantur, uiſcera corroborantur & ſpiritus reficiuntur. Tales antidoti & confectiones cardiacæ ſunt, Mithridaticum ex Scinco, & Theriaca, quæ regina medicamentorum uocatur, & γαλήνη, quòd maximam tranquillitatem affert corporibus, à uarijs morbis uelut fluctuátibus & agitatis.

Quínam

Quínam ſunt pulueres?

Sunt compoſitiones in puluere retentæ uel ad electua-riorum ſolidorum ſeu tabellarum confectionem, uel ad ſy-ruporum aromatizationẽ, uel ad epithemata. Fiunt ex gem-mis, margaritis, ambra, moſcho, auro.

Quid ſunt trochiſci?

Sunt rotulæ ſeu paſtilli ex pulueribus inſtituti ad eorum conſeruationem, ut diarhodon, diamargariton. Atque hæc de aſſumendis.

Quænam ſunt foris admo-uenda?

Duplicia: Simpliciſsima, ut olea: uel Compoſita: eaq́; uel minus, ut unguenta & cerata: uel maximè & duriſsima, ut emplaſtra.

Quottuplex eſt oleorum confe-ctio?

Triplex: Fit enim uel Expreſsione uel Impreſsione, uel Reſolutione.

Quid eſt Impreſſio?

Eſt infuſio uel decoctio cùm materiæ, in oleo commu-ni maceratæ uel incoctæ, qualitates & uires in ipſo relin-quuntur.

Quid eſt Reſolutio?

Eſt Chymiæ propria.

Quid ſunt unguenta?

Sunt medicamenta ex oleo, cera & ſpeciebus certis, tu-moribus præter naturam & ulceribus potiſsimùm deſtina-ta: quorum alia humores ſiſtunt: alia dolorem ſedant: alia ulcera detergent.

Quid

Quid eſt ceratum?

Eſt medicamentum ex oleis, cera aut reſina & ſpeciebus certis, unguento craſsius & ſolidius.

Quid eſt emplaſtrum?

Eſt medicamentum ab unguento differens craſsitie ſpecierum ingredientium. Conficitur autem ex herbis, floribus, radicibus craſsioribus: quæ omnia tenuiſsima debent eſſe in unguentis.

Quottuplicia ſunt emplaſtra?

Triplicia: Aſtringentia, Suppurantia, Abſtergentia, quæ & ſarcotica.

PESTILENTIÆ ANALYSIS

Medica ex Auberto.

- *Peſtis*
  - *Cauſæ ſunt*
    - *Aër inquinatus & corruptus.*
    - *Fames.*
    - *Vnguenta & pulueres à ueneficis excogitati.*
  - *Contraria remedia*
    - *Prophylactica ſunt*
      - *Fuga: Citò, longè: reuertere tardè.*
      - *Alexiteria ſeu amuleta: ubi docet q̃ ſint*
        - *Fugienda: nimirum omnia calefacientia.*
        - *Vſurpanda*
          - *Bolus armena.*
          - *Terra Lemnia.*
          - *Acetum albi uini.*
    - *Therapeutica.* †

† Thera-

- † Therapeutica ſunt
  - Euacuatio
    - Pharmaceutica per
      - Vomitum.
      - Alui purgationem.
    - Chirurgica in
      - Phlebotomia.
      - Cucurbitulis.
      - Bubonis & carbunculi cura per nouaculam, aut cauteria.
  - Medicamenta
    - Aſſumenda. Huc etiam ſpectat diæta.
    - Topica, ut Epithemata
      - Cordis.
      - Bubonis.

ERRATA.

Quæ ſcala pagina 175 poſita eſt, ſequi debet: & è contra, quæ pagina 176 poſita eſt, præcedere.

FINIS.

BASILEÆ,

PER SEBASTIANVM HENRICPETRI, ANNO SALVTIS noſtræ inſtauratæ CIↃ. IↃ. XXCII. Menſe Septembri,



118675876

44

20


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm